

CASTIGATIO
E X A M I N I S
SCIPIONIS CLARAMONTII
In Secundam Decadem
IO. CAMILLI GLORIOSI.

^{Auctore}
EODEM IO. CAMILLO
GLORIOSO.

Ad Illustrissimum Virum
FERDINANDVM
BRANCIAM.



Neapoli, Apud Lazarum Scorigium. 1637.
SUPERIORVM PERMISSV.

FERDINANDO
BRANCIAE
BELVEDERII DVCI
ORDINIS CALATRAVÆ EQVIT^I

*ET IN SVPREMO ITALIAE SENATV
Regis Catholici à latere Consiliario.*

Nec non
In Regno Neapolitano Regiam
Cancellariam Regenti.

*IOANNES CAMILLVS GLORIOSVS
perpetuam felicitatem.*



Cipio Claramontius Philo-
sophus Peripateticus non
ita pridem examinavit scri-
ptum quoddam meum in
librum suum de tribus no-
uis stellis , breuissimam re-
sponfionem concinnaui , ex qua liquido ap-
parere arbitror , eum non recte scriptum il-
lud meum evoluisse ac p̄esitasse; Hanc meam
lu-

Iucubrationem tibi nuncupauit DVX PRÆ-
STANTISSIME, eam præcipue ob ratione
ut apud posteros aliquod extaret meæ erga te
benevolentia & obseruantia testimonium,
officia enim tua, quibus foues me atque tue-
ris, me tui amantissimum, tibiq; deuinctissi-
mum effecerunt; Mitto quod ex mei huius li-
belli lectione non paruum capies animi ob-
lectamentum, continet enim questionem fa-
mosam & nobilem de situ & loco nouæ stel-
lae, quæ effulsa in Cassiopeia anno 1572. Scio
equidem quanto cælestium contemplationum
amore tenearis, quantaq; cum voluptate me
quandoq; de hisce rebus alloquentem exau-
diueris: Opusculum hoc meū paruum & exi-
le est, sed à te VIRO ILLVSTRISSIMO
magnitudinem accipiet & claritatem.

CASTIGATIO EXAMINIS SCIPIONIS CLARAMONTII

In Secundam Decadem.

IOANNIS CAMILLI GLORIOSI.

P R A E F A T I O .



Cipio Claramontius libellum
edidit, Florentiae impressum
anno antecedente, cui titulum
fecit, *Examen censuræ Ioannis
Camilli Gloriosi in librum de
tribus nouis stellis Scipionis Cla-
ramontij*; Euulgaueram ego

Exercitatione prima Decadis secundæ iudicium
quoddam meum in hunc suum librum, & pro-
prie egi de stella noua, quæ apparuit in Cassiope-
ia anno 1572. & hoc in gratiam Aloysij Carrafæ
Principis Hostiliani, absque liuore tamen, nec
sub nomine censorꝝ, nullumque verbum protu-

A li

li iniuriosum , quam urbanitatem is non seruauit
in hoc suo examine , me miserum quantis errori-
bus & reprehensionibus me cōspurcauit, in quas
indecentias ipse lapsus est, quia non intellexit ra-
tiones & argumentationes meas; Huic libello si-
ue examini minimè me responsorum statueram,
exemplo adductus clarissimorum virorum , Ke-
pleri inquam & Galilei , qui eius defensionibus
nullam respcionem dare dignati sunt, sed con-
trarium agere nobis vilum est, ne virum doctum
& amicum contempsisse , ac paruifecisse videre-
mur; Quemadmodum igitur iudicium illud meū
in prima scriptione per compendium egimus, sic
quoque in hac secunda per compendium age-
mus, & ut commodius hæc omnia tradi possint,
præsentem scriptiōnem in duas partes diuide-
mus,in priore respondebimus ad obiectiōnes eas,
quæ animaduersione aliqua dignæ videbuntur, in
posteriore vero agemus de summa dissertationis,
& controuersiæ .

P A R S P R I O R

C A P V T . I.



Rimen primarium, de quo sumus Pag. II
reus apud Claramontium, est
inconstantia, inconstanter me
gesisse scribit, quod ego sci-
licet calculum approbaue-
rim & methodum damna-
uerim; Scripsiteram enim ego aliquibus in lo-
cis, eum ope & auxilio quarundam obseruationū,
quibus est usus, recte deduxisse per calculum,
stellam illam nouam, quæ apparuit in Cassiopeia
anno 1572. sublunarem fuisse, ac in alijs locis su-
biunxeram, me suspicari methodum, qua ipse
vititur, non esse legitimam; Equidem de incon-
stantia tunc notari debuissem, quando unam &
eandem rem & approbassem & damnassem, cal-
culus & methodus res diuersæ sunt, immo lau-
dare tenebatur sinceritatem & candorem meū,
cum libere de utraque re sententiam meam ex-
posuerim, calculum approbaui quia re vera per
quosdam calculos recte deduxit stellam illam
fuisse sublunarem, methodum vero damnauui,
quia ea omni ex parte legitima mihi visa non est;
Per methodum non legitimam intelligo applica-

A 2 tio-

tionem illarum indaginum, quibus is vſus est, comparando videlicet obſeruationes factas in diuersis terræ locis , nam ſi tali utereſur applicatione , quædam ſequentur absurdia, nempe ſtellam illam inæqualiter diſtasse à mundi centro, quod dicendum non videtur, cum ſtella illa ſemper eundem deſcriplerit parallelum, motu .n. diurno duntaxat ciebatur ; Itemque quod obſeruationes plerumq; comparari non poſſent ; Et miror profeſto quomođo hāc ſuam methodum iſfem non legitimam animaduerterit, cum iſthæc absurdia ei abſcondita minimè fuerint, absurdum primum is optimè nouit Cap. 29.lib. primi in Annotatione,
Satis vero ſit, inquiens, quid obſeruationibus admissis ſequatur, ſatis euidenter nos monſtraffe, nec ignorauit absurdum ſecundum, nam Cap. 22.41.46. eiuſdē libri quamplures obſeruationes refert à ſe dimiſſas fuiffe, quæ comparationem non admittebant;
 Pag. 13 Fruſtra itaque laborat Claramontius, dum nititur ostendere indaginiſ, quibus is eſt vſus, non peccare in Geometricis, eas inquam ſub hoc nomine nunquam reprehendi.

CAP.

C A P V T I I.

AD redarguendam methodum Claramonij sic ratiocinari sumus, Dato & cōcelso quod obseruationes, quibus est v̄lus auctor, verae sint, & quod obseruationes, quibus non est v̄lus, idoneæ non fuerint ad conferendum, suspicor tamen methodum, qua ipse vritur, non esse legitimam; stultum enim & ridiculum puto existimare stellam illam nouam à terris distans mill. 25. vt deducitur ex collatione nona indaginis primæ; Consequentia ergo est ex methodo, inquit Claramontius, Et indagine in aliqua collatione obseruationum Astronomorum illius temporis, reducitur ridicula paruitas distantie, ergo methodus mala, at ridicula sane est distantia illa, sed inepta prorsus consequentia, nam in deductione ex collatione duarum obseruationum duo sunt, obseruationes, que assumentur, Et methodus ac deductio ipsa, ex alterutra harum necesse est prouenire absurditatem, ergo prouenit ex methodo, que consequentie necessitas? immo prouenit inquam ego ex obseruationibus, cum methodus sit demonstrativa, ut vidimus, Et Antagonista Galileus, etiam si parū equus, aliter deduxit illationem, scilicet in falsitatem obseruationum rejecit, non in falsitatem methodi, Et certe (repeto) cum methodum demonstrativum totam esse iam confit, illi non potest imputari vitium; Ridicu-

culam quoq; fatetur Claramontius stellæ distan-
tiam à terris mill. 252. at meam consequentiam
ineptam esse , dum hoc absurdum methodo po-
tius attribuo, quam obseruationibus, cum metho-
dus ipsa demonstrativa sit, & nil peccet in Geome-
tricis ; At ego dico quamvis eius methodus non
peccet in Geometricis , ac etiam quod obserua-
tiones veræ fuerint, eius methodū esse vitiosam ;
Diximus Cap. antecedente eius methodum non
esse legitimam , ob applicationem illarum inda-
ginum, quibus est usus, comparando, videlicet ob-
seruationes factas in diuersis terræ locis, & in hoc
consistit eius methodi vitium, de qua re in parte
posteriore huius libelli. Quod autem Galileus de-
duxerit illationem in falsitatem obseruationum ,
& non in falsitatem methodi , immunis is non.
euadit obid à mea obiectione, sic Galileo visum,
at nobis aliter.

C A P V T I I I .


Pag. 23 **A** *H* docte Glorioso (sic legendum puto) ex-
clamat Claramontius, si ponatur C.e, se stel-
lam fixam, permanuros eosdem angulos? nū-
quam expectassem in Mathematico docto tantum la-
psum ; Verum ut cognoscatur qualis & quantus sit
iste lapsus, opus est hoc transferre integrum sen-
ten-

Ad examen Claramontij. 7

rectitudinem meam, atque integrum eius obiectio-
nem.

Porro si hac eadem methodo uteremur, inue-
niremus, stellas quoque fixas infra Lunam existe-
re, sufficiat unicum exemplum, nempe collatio
prima ab ipso posita Cap. 12. singamus inquam,
ut in Ichemate illius collationis, quod pheno-
menon visum sit stella fixa C, remanent ijdem

Glor.



anguli CBD, grad. 66.56. BDC grad. 108. 21. 30.
BCD grad. 4. 42. 30. & consequenter distantia
stellæ fixæ C à mundi centro milliar. 8832. hoc
est infra Lunam; Nec dici potest quod in distantia
fixarum evanescit angulus BCD, propterea que
hanc argumentationem non habere locum, nam
is Lemmate primo Cap. 11. fatetur rectas lineas
CD, CB, BD, quantacumque sit altitudo puncti
C, constituere triangulum, hoc est triangulum
con-

constitui à duabus quibusuis lineis visi loci eiusdem visibilis, etiam si stella fixa fuerit, ergo ex doctrina triangulorum si grad. 175. 17. 30. nempe aggregatum duorum angulorum CBD, CDB, deducantur à grad. 180. remanet angulus BCD. grad. 4. 42. 30.

Si C sit stella fixa non ne omni parallaxi carebit?
 Clar. adeo ne dum angulus BCD non posse esse grad. 4. 42. 30. sed angulus quoque ACB maior sit nullius quantitatis perceptibilis, auferamus ergo angulum BCD, tamenquam nullius perceptibilis quantitatis, restabunt duo reliqui anguli secundum numerationem grad. 180. scilicet instar duorum rectorum, quo circa si ponatur angulus CBD grad. 66. 56. erit angulus BDC non amplius grad. 108. 21. 30. sed grad. 113. 4. adeo ut si ponatur angulus CBD restare idem, reliqui duo omnino diversi erunt, nimirum BCD nullius perceptibilis quantitatis, loco grad. 4. 42. 30. & BDC grad. 113. 4. loco grad. 108. 21. 30.

Ego equidem hoc dicere volui, si in C apparuerit phænomenon, & ex duobus terræ locis B & D fuerit obseruatū, sitque angulus CBD grad. 66. 56. & BDC grad. 108. 21. 30. ergo reliquus BCD necessario erit grad. 4. 42. 30. nam secundum ipsum recte lineæ CD, CB, BD constituunt triangulum, quantacumque sit altitudo puncti C; Fingamus ergo quod visu phænomenon sit stella fixa,

ergo

ergo remanent ijdem anguli CBD, BDC , nam
supponimus interræ locis B & D prius tales esse
factas obseruationes , quod angulus CBD sic
grad. 66.56. & BDC grad.108. 21.30. quare stan-
tibus hoc modo hisce angulis necessario reliquus
angulus BCD erit grad.4. 42.30. Ac propterea
subiunximus ambiguum esse per hanc methodum
phænomeni à terra altitudinem rimari, cum unus
& idem angulus in phænomeni centro à duabus
lineis visi loci constitutus, corresponeat phæno-
meno & supra & infra Lunam existenti ; Quando
itaque ait Claramontius , quod si C fuerit stella
fixa , angulus BCD sit insensibilis, hoc est nullius
perceptibilis quantitatis , ideoq; si angulus CBD
fuerit grad. 66.56. erit angulus BDC grad.113.4.
nam tunc duo anguli CBD , BDC quoad sensum
adæquantur duobus rectis; Hæc inquam obiectio
nil contra me facit; nam ego dico standum esse
obseruationibus, obseruatio enim facta in loco
terræ D facit angulum BDC grad.108. 21.30. &
non grad. 113.4. quare altero CBD existente grad.
66.56. reliquus BCD necessario erit gra.4.42.30.
an forte putat Claramontius me ignorare stellas
fixas nullam admittere parallaxim ? Nec ei opem
fert & subministrat Prop. 2 i. primi Element. tan-
quam extra propositum adducta, nam ex ea dum- pag. 24
taxat colligitur , si ex duobus terræ locis B & D

B ob-

obseruetur phænomenon C in diuersis à terra distantijs , angulus BCD à duabus lineis visi loci constitutus , semper maior erit in propinquiore distantia quam in remotiore , sed huc non tendit mea argumentatio , vt paulo ante à me disertis verbis explicatum est.

C A P V T I V.

Duplixi nomine me reprehendit Claramontius , Primo is enim inquit non semel ,
Pag. 27 sed quater dixit recte & optime deducetur à me fuisse stellam nouam sublunarem extitisse , si obseruationes tunc temporis Astronomorum proueris admittantur , at postea methodum , qua id deduxi , carpit & insufficientem , demumque falsam pronunciat , nam si methodus deducendi non magis concludit stellam fuisse sublunarem , quam sitam in octaua sphera , ut ipse postremo contendit , falsa erit consequentia mea , dū ex datis infero certo fuisse sublunarem ; ver. gr. triangulum potest esse tum rectangulum tum obliquangulum , si quis ex eo , quod aliqua figura triangulum sit , inferat esse rectangulum , falsa erit illatio , nescitur enim propositione eiusmodi uniuersali falsa , omne triangulum est rectangulum , pariter cum in figura solita & in collatione prius indaginis ego deduxerim ex eo , quod anguli fuerint

C

C grad. 4. 42. 30. B gr. 66. 56. D. grad. 108. 21. 30.
 stellam abfuisse à centro solum millaria 88; 2. falsa
 erit consequentia, dum secundum hunc auctorem aequ
 ex ijsdem datis possit esse in distantia octauę spherae, non
 ergo hęc sibi cōstant, à me recte deducum & methodum
 deducendi esse fallacem. Secundo autem modum dicendi
 non probo, verba eius sunt, suspicor tamen methodum,
 qua ipse utitur, non esse legitimam, in Mathematicis
 non habet locum suspicio, in opinione solum suspicio esse
 potest, quae est adesio alteri parti cum formidine alterius,
 at in scientijs præsertim, que sunt in tanto certitudinis
 gradu Mathematica nil certius est falsitate oppositarum
 propositionum, ut Arist. dicit secundo cap. Post. Analyt.
 Quem ergo locum potest hic habere suspicio? addo autem
 non ego proposui methodum ipsam per se solam, sed cum
 demonstratione iunctam, tenebatur ergo hic auctor dum
 methodum in examen deducebat, pariter demonstrationē
 eius expendere, & si demonstratiuam reperisset, admis-
 tere etiam absolute methodum, ut certam, si vero fallax
 fuisset, atque ut Arist. vocat, syllogismus opposita de-
 ceptionis, tum rejicere, quae cum non præstiterit, certe à
 Mathematica censura longe abfuit.

Si Claramontius perceperisset, in quo consistit
 suæ methodi vitium, vtique hęc nō rescripsisset,
 nec toties eādem repetijsset cantilenam, diximus
 Cap. primo, quod calculus & methodus res diuer-
 se sunt, calculum approbavi ac methodum dam-

na ui, ex eo igitur quia methodus legitima nō est,
 illud accidit absurdum, quod vñum & idem phæ
 nomenon reperitur infra Lunam ac in octaua
 sphæra, ergo in solita figura, ex eo quia in triangulo
 BCD angulus B est grad. 66.5 6. & D.grad. 108
 21. 30. erit necessario reliquus C grad. 4. 42. 30.
 quare cum iste angulus C. possit adaptari & phæ-
 nomeno infra Lunam ac stellæ fixæ, sequitur ab-
 surdum quod phænomenon infra Lunā ac stella
 fixa eodem interuallo, nempe mill. 8832. à mun-
 di centro distabunt; Quantum vero ad secūdum,
 vñus sum verbo suspicari ob modestiam, & ob ci-
 uilem loquendi formam, tamen non hinc sequi-
 tur, me eius methodum non legitimam dicere
 noluisse, dico nunc denuo & Mathematice eius
 methodum non esse legitimam, ut Mathematice
 probabitur parte secunda siue posteriore huius
 libelli.

C A P V T . V.

LAUDAUI methodum Tychonis, qui in obseruatione præfatæ stellæ nouæ hoc vñus sit artificio, locauit primum eam in orbē Lunæ, deinde in orbe Solis & Saturni, & examinavit per calculum quas parallaxes esset admissa, cum itaque ex suis obseruationibus cognouis-
 ser-

set hanc stellam minorem possedisse parallaxim quam Lunam, Solem & Saturnum, eam supra Lunam, Solem & Saturnum locare non dubitauit; Reprehendit Claramontius hanc methodum, nā Pag. 30 scopus huius pragmatiæ est indagare remotionē stellæ à mundi cetro nobis ignotam, at supponere stellam in orbe Lunæ, aut in orbe Solis aut Saturni, nō est indagare distantiam phænomeni ignotam, sed supponere. Tycho sanè hoc modo argumentatus est, si stella noua fuisset in orbe Lunæ, aut Solis aut Saturni, eandem possedisset parallaxim quam Lunam, aut Solem aut Saturnum, sed ex suis obseruationibus is agnouit stellam nouam minorem habuisse parallaxim quam Lunam, aut Solem aut Saturnum, ideo cōclusit stellam illam supra Lunam, Solem & Saturnum locari oportere, & sic per hoc artificium cognouit mundi sitū, in quo stellilla effulsiit, & consequenter eius distantiam à mundi centro; At instat Claramontius, qua methodo agnouit Tycho stellam illam minorem habuisse parallaxim quam Lunam, Solem & Saturnum? hæc postulatio in præsentiarum nō est oportuna, tractatur hic de methodo, quod quandocumque scilicet ex obseruationibus constiterit aliquod phænomenon minorem habuisse parallaxim quam Lunam, Solem & Saturnum, illud phænomenon necessario supra Lunam, Solem & Saturnum reponendum esse. CA-

C A P V T . V I.

Methodum Claramontij inter cætera hoc
aburdo maxime peccare scripsimus ,
quod obseruationes plerumque compa-
rari non possunt , pro quo absurdum tollendo sic
Pag. 31 respondet , *Quod obseruationes , quas non posse compa-
rari methodus indicat , sunt cum maior colligitur diffe-
rentia latitudinis regionum differentia altitudinum ob-
seruarum phænomeni , id vero vel ex errore procedit ,
vel ex refractione , si ex errore , vanum effet tentare ex
viciatis obseruationibus veram distantiam elicere , si
ex refractione , absonum effet ex prima indagine , qua per
triangulum procedit , quicquam elicere , cum ex illis pen-
tagonum irregulare gignatur , non autem triangulum ,
et demum effet inane paralaxim querere , cum ibi emi-
neat refractio contraria parallaxi , quare est insignis me-
thodi utilitas hæc , quam pro absurdum vir hic interpreta-
tur et damnat ; Hæc responsio Claramontij non
tollit absurdum , nam hic non quærimus qua via
nos cognoscere possimus obseruationes , quæ pol-
sint , vel non possint comparari , sed dico ex eo
quod hæc methodus procedit comparando ob-
seruationes factas in diuersis terræ locis , ob quod
accidit obseruationes plerumque comparari non
posse , deo alia methodus eligenda est , in qua nō*

sic

Sit opus comparare obseruationes factas in diversis terræ locis, propterea que laudaui sententiam Tychonis; qui asseruit certiore ac tutiore esse experimentationem factam in uno terzæ situ quam in diuersis.

C A P V T V I I.

Scipioius inter reliqua methodum Claramontij non esse legitimam pro inuestigatione anguli BCD, nam plerumque incidimus in absurdū, ac obseruationes ipsæ nō possunt comparari; Certe hac methodo, inquit Claramontius, Pag. 32 non indagatur angulus BCD, sed in ea supponitur, ex eoq; ut ex dato methodus procedit, Angulus vero BCD accipitur ex obseruationibus ipsis detrahendo distantiam latitudinis regionum ex differentia altitudinum visarum, ut iam docuimus, at Gloriosus non discrevit inter data & quæsita, ut in sequenti capite expendendo methodū, quam ipse adhibet, pleniū intelligemus; Erat autem obuium agnoscere angulum BCD, ut datum ex ipsamē propositione mea ac problemate, quod ita propo-
nitur lib. I. Antitych cap. 3. prop. 4. ad quem locum me re-
mitto, in primo de Tribus cap. 10. data differentia paral-
laxium (hac est angulus BCD) & distantia visa phe-
nomeni ab alterutro vertice duorum locorum, quorum
distantia sit data (quot scil. gradibus circuli maximi

in-

inter se distent) indagare rveriusque loci parallaxim; certum & clarum ex verbis problematis erat angulum BCD non queri nec indagari ex methodo, sed methodū ex ipso ut dato querere parallaxim, inde distantiam phænomeni à centro terræ, at ipse omnia peruersendo facit in sua methodo, quam in consequenti nunc capite pensabimus angulum BCD quæstum & parallaxim atque distantiam phænomeni à centro data; Cūm ramen ipsius et disertis verbis fateatur dicto num. 8. distantiam phænomeni à centro esse id quod precipue in hac controvèrsia queritur.

Per methodum Claramontij nos intelligimus applicationem illarum indaginum, quibus usus est, comparando videlicet obseruationes factas in diuersis terrę locis, at ipse aliter sumit suam methodum, proptereaque quicquid hic dicit & exaggerat frustraneum est, nec quicquam aduersus me molitur.


C A P V T V I I I.

Pag. 33

VT recte intelligantur quæ à Claramontio mibi opponuntur, opus est hic aliquantulum immorari; Eius methodum principaliter ego reprehendi, quia accidit plerumque obseruationes non posse compatari, exemplum ipsiusmet commostrauit de obseruationibus Tychonis

Chonis & Munosij, sic enim scribit lib. I. de tribus nouis stellis cap. 22. lemm. primo.

Posita altitudine poli Valentie grad. 39. 30. & Tychonis grad. 55. 58. differentia latitudinis locorum erit grad. 16. 28. reposita itaque figura eadem, Arcus BD, ideoque angulus BAD erit grad. 16. 28. & reliqui duo anguli ABD, ADB grad. 81. 46: anguli itaque deinceps




deps DBE, BDF sunt singuli 98. 14. ac angulus CBE distantia stella à vertice Munosij est grad. 78. 30. (cum sit minima altitudo grad. 11. 30.) reliquis itaque angulus CBD est grad. 19. 44. estque angulus CDF distantia stelle à vertice Tychonis maxima grad. 62. 15. erit ergo cosinus angulus BDC grad. 160. 29. est & CBD grad. 19. 44. duo ergo anguli BDC, CBD simul sunt grad. 180. 13. scilicet maiores duobus rectis, ergo comparationem ex prima ipsa indagine non adhibe-

C Ex

Ex eo igitur quod duo anguli BDC, QBD inueniuntur grad. 180. 13. hoc est maiores duobus rectis, obseruationes Tychonis & Munosij comparationem ex ipsa primâ indagine non admittere facetur Claramontius; Nos ergo methodum tradidimus secundum figurationem Tychonis atq; etiam secundum figurationem suam, & ostendimus præfatas obseruationes posse comparari absque ullo absurdo, & consequenter nos posse indagare angulum BCD, nempe differentiam parallaxium respectu utriusque situs & Tychonis & Munosij, sic enim scripsimus pag. 13.

Semicirculus NKL representet terram, & semicirculus EBC orbem Lunæ, punctum K accipiatur tam pro situ Tychonis quam Munosij, ita ut angulus BKF sit distantia visa à vertice Mun-



Si, & angulus BKG distantia visa à vertice Tychonis; In triangulo rectangulo MAK noti sunt duo anguli

anguli KMA rectus & MKA gra. 78.30. (æqualis nempe angulo BKF, qui mensurat distantiam visam à vertice Munosij, fuit enim altitudo minimæ grad. 11.30.) notum quoque est latus KA terræ lemid. ergo latus MA erit 97992. quatenus terræ lemid. est 100000. In altero igitur triangulo rectâgulo MAF nota sunt duo latera MA. 97992 & AF, quæ continent 52. semid. terræ secundum Tychonem, notus quoq; est angulus rectus AMF, quare ex ratiocinio triangulorum erit angulus MFA, nempe parallaxis in situ Munosij gra. 1.4.10. Item in triangulo rectângulo RAK noti sunt duo anguli KRA rectus, & RKA grad. 62.15. (æqualis nempe angulo BKA, qui mensurat distantiam visam à vertice Tychonis, fuit enim altitudo minimæ grad. 27.45.) notum quoq; est latus KA terræ semid. ergo latus RA erit 88499. quatenus terræ semid. est 100000. In altero igitur triangulo rectângulo RAG nota sunt duo latera RA. 88499. & AG, quæ continent 52. semid. terræ, notus quoq; est angulus rectus ARG, quare ex ratiocinio triangulorum erit angulus RGA, nempe parallaxis in situ Tychonis grad. 0.58.6. Quamobrem differentia parallaxum respectu horum duorum situm erit grad. 0.6.4. collocando scilicet stellam nouam in orbe Lunæ.

Hanc ergo methodum primo & præcipue re-

C 2 psc.

Pag. 34 prehēdit Claramontius, quia supponit quod quæritur, nam supponit distantiam phænomeni à centro notam, at hæc ipsa distantia quæritur, dum ambigitur utrū phænomenon sit cælestē an sublunare, adeo ut sit aperta principij petitio; Meā methodus non deseruit ad indagandam phænomeni distantiam à mundi centro, sed deseruit ad indagandum angulum BCD, nempe differentiam parallaxium, quæ ex eius methodo indagari non potest, ex eo quod anguli BDC, CBD sunt maiores duobus rectis, quod patet ex hisce meis verbis postremis ; *Quamobrem differentia parallaxium respectu horum duorum situum erit grad. 0.6.4.* collocando scilicet stellam nouam in orbe Luna, & paulo post, Claramontius non investigat angulum BCD, *ut à nobis factum est, nos enim in vestigauimus separatum angulos BCA, DCA,* & ex maiore BCA detramus minorem DC \angle A, & sic notus evafit BC \angle D, & in nullum incidimus absurdum: Et si suppoluimus notā distantiam à mundi centro, id factum est in gratiam exempli, ut via monstraretur, quomodo indagatis parallaxibus respectu duorum situum possit quoque illarum differentia vestigari, subter hendo scilicet minorem de maiore, in qua vestigatione nulla adest principij petitio, nam quæ certior via dari potest ad habendam differentiam duarum magnitudinum inæqualium, quam sub-

ura-

trahere minorem de maiore? sic quoque fecit Tycho, qui in quarta comprobatione pag. 453. indagauit differentiam parallaxium inter se & Hainzelium, itemque pag. 456. inter se & Munosium ex ipsis parallaxibus, supponendo tamen novam stellam in orbe Lunæ, hoc est distantiam novam à mundi centro.

Reprehédit secundo meam methodum, quia ^{Pag. 34} ex parallaxibus indagatis querit differentiam parallaxium, quæ progressio præpostera est, nam loca vera indagantur per loca visa, & non contra; Quæ hic dicit Claramontius non reperiuntur in mea methodo, ego equidem per distantias visas tam à vertice Munosij quam à vertice Tychonis, hoc est per angulos BKF, BKG vestigavi parallaxes pro utroque situ, népe angulos MFA, RGA, & sic per loca visa quæsi loca vera, & non contra, an forte putat Claramontius differentiam parallaxium non esse eiusdem naturæ, quam parallaxes ipsæ? an forte erroneum existimat pro cognoscenda differentia parallaxium, viam legitimam nō esse subducere minorem parallaxim de maiore?

CA-

C A P V T V I I I.

Pag. 35

Reprehendit tertio meam methodum : quia interdum ea potest esse falsa , nam non semper differentia parallaxium colligitur ex subtractione minoris ex maiore , sed colligitur quandoque ex parallaxium aggregato , vt is ostendit in suo Antitychone lib. primo cap. 3 . Prop. prima , quod sanè contingit , quando linea veri loci mediat inter lineas visi loci , hoc equidem non accidit in casu nostro , in quo linea veri loci cadit extra lineas visi loci , & tunc opus est ad habendam differentiam parallaxium , minorrem ex maiore subducere , vt à nobis factum est sed cur non dixit , quod quandoque differentia parallaxium æquatur parallaxi vnius situs ? nam ex illa Prop. tres casus dari possunt , iuxta quos variatur parallaxium differentia ; Mitto quod hæc theoria de parallaxium differentia respectu duorum situum , locum haber secundum figuracionem suam , & non secundum figuracionem Tychoonis , ideoque ab ipso reprehendi non poterat .

Pag. 35

Quarto loco reprehendo , inquit Claramontius , quod is pro Tychoonis methodo , hanc proponit , cum tamen ad alium longe finem à Tyhone dirigatur , is enim in quarta comprobatione sumit sanè differentiam paralla-

suum inter se & Munosium, inter se & Hainzelium ex supposita distantia nouæ stellæ, modo lunari, modo solari, modo saturnali à centro, modo elementari, adeoque sub conditione; At absolute eiusmodi differentias non incedere, atque eis stellam nonam prorsus caruisse, demonstrat alia ratione, interim certe Tycho vitium percusionis effugit, at qui ut Gloriosus proponit ex supposta distanca à centro deducere absolute differentiam parallaxium, peteret is sane principium in proposita indagine loci, ac sedis phænomeni, sit ne calestis an elementaris.

Quod Tycho ad alium longe fine m, figuratio-
nē, quam ego adduxi pro eius methodo; institue-
rit ac dirigerit, nil contra me facit, sufficit quantū
ad hoc singulare caput, quod ego eius figuratio-
ne usum, quemadmodum & ipse, nam uterq;
no strum per eandem figurationem indagauit dif-
ferentiam parallaxium, supposita distantia nouæ
stellæ à mundi centro, nec ego in illa mea de-
monstratione aliud quæsiui, ut in antecedente ca-
pite palam fecimus.

C A P V T X.

Clarumontius conqueritur de me, notando
in meis dictis repugnantiam & implica-
tionem, nam numero quarto præposui
cius

Pag 36

ei⁹ methodo Tychonis methodum, cū scri-
plerim methodum, qua v⁹sus est Tycho, mihi cer-
tiorem videri, nam is locauit primum stellam
nouam in orbe lunæ, deinde in orbe Solis & Sa-
turni, & per calculum examinavit, quas esset pa-
rallaxes admissura, cum itaque cognouisset stellā
nouam imperceptibilem ferè parallaxim posse
disse, eam supra Lunam, Solem & Saturnum, hoc
est inter fixas locare non dubitauit; At postmo-
dum numero octauo fateor figurationem eius
magis esse concinnam & Astronomico negotia
magis esse conformem, nam per eam v⁹stigatur
distantia phænomeni à mundi centro, quod p̄z-
cipuè in hac controuersia queritur, quod per figu-
rationem Tychonis assequi non licet, quoniam
in ea quod queritur supponitur; Hęc qui dicas @r
fatearis (docte vir) inquit Claramontius, de methodo
Tychonis, non posse ex ea inuestigari distantiam phæno-
meni à centro, quod in hac controuersia p̄fertim que-
ritur, @r supponere quod queritur, tamen eam p̄fers
me, per quam v⁹stigatur eiusmodi quæsita distantia
ut tu ipse hic fateris; Methodum ergo, qua non licet aſ-
sequi id, quod proponitur inuestigandum, p̄fers tu me-
thodo id ipsum inuestiganti? methodum, que supponit
id quod queritur, que nempe petit principium, p̄ponit
methodo non petenti? intelligis quantum hac sibi repre-
gnans;

Profecto in hac re pro vtraque parte candide
me gessi, præposui enim eius methodo Tycho-
nis methodum, quantum ad hoc caput, quia ex
methodo Tychonis non sequuntur illa absurdæ,
quæ sequuntur ex eius methodo, præposui autem
eius methodum Tychonis methodo, quantum
ad hoc caput, quia per eius methodum inue-
stigatur distantia phænomeni à mundi centro,
quæ in Tychonis methodo supponitur tantum,
& non inuestigatur; Diximus Cap. v. quod Ty-
cho per artificium collocavit stellam nouam
modo in orbe Lunæ, modo in orbe Solis, mo-
do in orbe Saturni, ut cognosceret mundi si-
tum, in quo illa effulsi, & consequenter indaga-
ret eius distantiam à mundi centro, in quo artifi-
cio nulla est principij petitio, propterea que illam
laudavi numero quarto, numero vero octauo lau-
daui methodum Claramontij, quia per eam via
directa inuestigatur distantia phænomeni a mun-
di centro, tamen quia laborat quibusdam absur-
dis, à quibus est immunis Tychonis methodus,
omnino eius methodo præposui Tychonis me-
thodum, propterea que ibidem scripsimus; Qua-
mobrem si per obseruationum comparationes
de situ & loco phænomeni philosophandum est,
Tychonis methodum eligi potius debere existi-

mauerim,nam secundum eam cognoscimus dif-
ferentias parallaxium;quæ contingunt in diuersis
terræ sitibus secundum assignatas phænomeni à
mundi centro distantias.

C A P V T X I.

Methodus Tychonis procedit per obser-
uationes factas in vno terræ situ, metho-
dus vero Claramontij procedit per ob-
seruationes factas in diuersis terræ sitibus, sed Ty-
cho certiore ac tutiorem esse putat experimen-
tationem factam in vno tetræ situ quam in diuer-
sis, sic enim scribit lib. primo pag. 453. Quamuis
ut dicam quod res est, longe tutores & certiores sunt ille
experimentationes, que ab uno aliquo obseruatoro in
eodem horizonte, eodemque instrumento diligenter fabri-
facto perficiuntur, modo singula recte se habeant, nec
witio sensibili obnoxia sint, quam si à diuersis horizonti-
bus atque collimatoribus rei quesita enucleatio petatur,
nam & instrumentorum varietas & obseruatorum
non eadem ubique in administrando negotio diligentia
& circumspectio, non nihil à scopo petitio diuagationis
inferre possunt, quod quantum ad parallaxium subtri-
lem perscrutationem attinet, multum tamen in excessu
vel defectu peccet; Contrariam omnino tuetur sen-
ten-

Pag. 37

tentiam Claramontius hisce verbis, Certo rem enim reputo indaginem ex combinatione duarum obseruationum duorum obseruatorum, dum absque instrumenti & administrationis vtilio peragantur, quam ex obseruationibus eiusdem obseruatoris in eodem loco etiam si rite factis, Ratio autem mea est, quod ex diuersorum locorum obseruationibus patet refractio, si subsit, que non aequo patet ex obseruationibus eiusdem obseruatoris in eodem loco, quod si intelligat Tycho facilius reperiri unicum obseruatorum inculparum, quam duos, id ego quoque facio, at nihil mihi in hypothesi mea obest, que procedit supponendo veritatem singularum, ut fere mea conclusio hypothetica in secunda parte harum exposita, supposita autem veritate obseruationum veriusque obseruatoris, clarus elicitur parallaxis, si adsit, & clarus elicetur refractio, si parallaxis loco illa emineat, quam ex unici obseruatoris obseruationibus, ut patet ex cap. 3. huius partis.

Præfert Claramontius experimentationem factam in diuersis terræ locis eam ob rationē, quia per hanc viam cognoscitur refractio, si adsit, que non aequo cognosci potest per experimentationē factam in uno terræ situ; Laudo sanè artificium, & cognoscere artificio utilitatem, nihilominus dico quod hoc artificio tunc uti debemus, quando scire volumus num in duabus obseruationibus

factis in diuersis terræ locis, vel in ipsarum aliquâ, subsit refractio nec ne; At controuersia non est de hoc puncto, controuersia est num certius & tutius sit obseruare phænomenon in vno terræ situ quam in diuersis, nam quantum pertinet ad refractionem, potest ea p̄rcaueri, qui obseruat inquam phænomenon in vno terræ situ, diligens erit & industrius phænomenon ipsum obseruare, dum peruenierit ad Meridianum, vel dum fuerit in maximas altitudines euectum, quibus in sitibus nullas vires habet refractio, & si forte fuerit obseruatum in aliqua altitudine refractioni obnoxia, debet obseruationes ipsas corrigerere & emendare, ad quem finem iam conditæ sunt ab Astronomis tabellæ, & per obseruationes correctas & emendatas vestigare parallaxim, si adfuerit.

C A P V T X I I.

DVO sanè sunt absurdâ primaria, quibus infestatur methodus Claramontij, quorum etiam meminimus Cap. primo, Primum est, quod obseruationes plerumque comparati nō possunt, Secundū est, quod obseruationes, quæ comparantur, exhibēt discrepantes distârias à mun-

à mundi centro; At hæc absurdia nón esse absurdia
 se abūde demonstrasse cōtendit Cap. proximo v.
 nam quantum ad primum ait, id procedere vel
 ex errore vel ex refractione, quantum vero ad se-
 cundum ait, id procedere ex datis non ex methodo-
 di vitio; Quæ hic adducuntur à Claramontio, non
 liberant eius methodum ab absurdis, nam quan-
 tum ad primum, videtur concedere quod secun-
 dum hanc suam methodum quædam obserua-
 tiones non possunt comparari, & hoc est quod nos
 obijcimus, quantum vero ad secundum de discre-
 pantia distantiarum, dum ait id procedere ex da-
 tis non ex methodi vitio, in maiorem labyrinthū
 se intricat, nam ego ab eo peterem, num obserua-
 tiones, quibus est usus, sunt nec ne falsæ vel veræ,
 si falsæ, cur eis usus est? nonne ait vanum esse ten-
 tare ex vitiatis obseruationibus veram distantiam
 elicere? si veræ, cur non exhibent æquales distan-
 tias? stella inquam noua semper eundē descripsit
 parallelum, & consequenter eandem semper re-
 tinuit distantiam; à mundi centro; Vnum in hac
 re assequutus est Claramontius, quod is ope &
 auxilio earum obseruationum, quibus est usus, re-
 Æte deduxit stellam illam fuisse sublunarem, at
 ego iterum insto; an illæ obseruationes, quibus est
 usus, fuerint falsæ, vel veræ, si falsæ, ergo falso

est

est stellam illam fuisse sublunarem, si veræ, cui non exhibuerunt æquales distantias à mundi centro? Quare cum per illas obseruationes clarissime constet stellam illam inæqualiter distasse à mundi cætro, igitur obseruationes illæ, quibus est vñus, falsæ & erroneæ fuerunt, & consequenter per falsas & erroneas obseruationes is deduxit stellam illam nouam fuisse sublunarem.

C A P V T X I I I.

Pag. 41 **C**aramontius notat me hilce verbis, Quiam Gloriosus arbitratur tantum triangulum fieri, cum à nobis describitur, quasi radij visus vel linea radiales expectent nostram descriptionem, ut evinantur in phænomeno, & pariter ut ab extremitatibus chordæ recedant; Et quonam modo igitur ratiocinari possimus de rebus Mathematicis absq; figurarum præsentia? an forte putat de hisce rebus philosophandum esse per mugas & quisquilias? Dicat quæso Claramontius ex quo loco scriptoris meæ deduxit me ita arbitrari, immo ex doctrina sua hoc dixi, nam is Cap. xi. lem. primo facetur rectas lineas CD, CB, BD, quantacumque sit altitudo puncti C, constituere triangulum, hoc est triangulum constitui à duabus quibusvis lineis, vñsi

visi loci eiusdem visibilis, etiam si stella fixa fuerit.

Item notat me quod per minimam altitudinem interpretatus sum altitudinem stellæ in parte infera Meridiani, contra manifestam, significacionem suorum verborum, significantium minimum distantiam à centro, non autem inferiore partem Meridiani; Fateor quidem me per minimam altitudinem sumpsiisse altitudinem in parte infera, & sic quoque per maximam, altitudinem in parte supera, Meridiani, habui inquam animum ad obseruationes ab ipso comparatas, iuxta titulum Capitum 20.21.23. nam Cap. 20. confert obseruationes Thadæi Hagetij & Adami Vrsini, Cap. 21. obseruationes Lantgrauij & Georgij Buschij, & Cap. 21. obseruationes Maurolyci & Munofij, priores duæ comparationes fuitunt altitudinis minima, at posterior altitudinis maxima præfatae stellæ.

Item pag. eadem 43. notat me quod dixerim stellam illam nouam ob immensam distantiam iudicio sensus ab omnibus inter fixas collocatam fuisse; Si de vulgari iudicio sensus, inquit Claramontius, vulgaris etiam stellas non fixas, licet non immobiles discent, in celo octauo reponit, si de sensu instruendo instrumentis agat, non omnes inter fixas reposuere; At ego

ego dico quod planetæ, qui stellæ fixæ non sunt, iudicio simplicis sensus etiam cognoscuntur intra fixas existere, & secundum hunc sensum locutus sum.

Pag. 54 Item notat me, quod dereliquerim duas distantias sublunares ex Tychone, distantias scilicet semid. 17.³³¹ & semid. 32.⁴⁴². At non animaduertit quod ego eas distantias numeraui, quæ exceedunt distantiam Lunare m siue secundum hypothesises Ptol. siue Copernici.

Pag. 55 Item notat me quod non intellexerim eius conclusionem, quæ fuit conditionalis, nimirū si observationes stellæ tūc rēporis habitę pro veris suscipiantur, ex pluribus earum atque ex portionibus ipsam stellam infra Lunam fuisse, nulloque modo cælestem; Hoc equidem dicere non potest Claramontius, nam eius conclusionem conditionalem fuisse, atque eam me intellexisse patet euidenter ex ipsis met verbis meis pag. 7. Ex hisce vñjs opeime deduxit per calculum (supponendo tamen si vera fuerint observationes) stellam illam nouam, quæ apparuit in Cassiopeia anno 1572. sublunarem fuisse: immo ipse met facetur pag. 3. dum scribit, primo enim recte deduxisse, supposita veritate observationum, facetur stellam sublunarem, ac postea methodum à me adhibuit carpit, ac idem refert pag. 11. atque alibi.

CA-

C A P V T X I I I.

Reprehendit me Claramontius, quod eius primam rationis partem vere retulerim, at in sequenti parte non vere, sed ut videant studiosi quis nostrum tali labore notandus sit, non grauabor huc adducere & mea & sua circa hanc obiectionem.

Observationem illam Lantgrauij, per quam deducitur stellam à mundi centro distans terræ semid. 1677. alio nomine reprehendit, nam tunc extitisset ait stella illa in regione planetarum, in qua nihil est immotum, at stella illa immota fuit, motu tantum diurno ciebatur, ergo inter planetas nullo modo locanda est, equidem omne phænomenon, quod motu diurno dumtaxat mouetur, in octaua sphæra ponendum est vel in clementis.

Hic Gloriosus alias reprobationem molitur, qua carpit ratiocinationem meam de observationum collatione illa, ex qua deducebatur distantia stelle à centro mundi semid. 1677. quam etiam rationem meam aduersus me retorquet, sed parum felici ausu sicut etiam rationem non satis vere recenset. Ratio ergo mea ibi est hoc nixa præsertim fundamento, nullum phænomenon solum motu diurno motum in planetarum regione posse consistere, cum enim orbes illi suo singulè

E

motu

Glos

Clas^s
Pag. 58

mōtu feraneur, necesse foret etiam phenomenon co mōtu moueri, vel phenomenon omni mōtu praterquam diurno immotum est in octaua sphera vel in regione elementari ignis aut superioris aeris, & qua elementa sola ipsa quoque mōtu diurno feruntur; secunda proposicio est, ubi aliqua est parallaxis etiam si exigua & minima, phenomenon eiusmodi infra octauam sphera necessario esse, nullā enim patiūtur parallaxim, quae in octaua sphera sunt, concludebam ergo cum omnes collationes aliquā parallaxim tribuante stelle, etiam qua sola quadraginea secunda exhibet, omnes etiam infra octauam spherae fuisse stellam novam ostendisse, adeoque ex prima propositione fuisse infra cælum deducebam; In hucusque dī. Etis primam rationis partem vere refert, at in sequenti parte non vero, audiamus ipsum.

Glor. Sed per collationes obseruationum ab ipso factas inquit Claramontius, evidenter apparet stellam illam in elementis fuisse, ergo obseruatio illa Lantgrauij cum alijs eiusdem generis erronea est.

Clar. At hic rationem depravat meam, non ego argumen-
tor ex eo, quod stella fuerit in elementis (hoc deduco, non ex hoc deduco) sed quoniam omnes collationes aliquam parallaxim in stella ponunt, adeoque omnes infra octauam spherae reponant; verba ibi mea sunt, non fuisse autem in octaua sphera stellarum, omnes obseruationes, omnesque earum collationes clamant, ut que minima dicitur parallaxis Lantgrauij secundorum 40. nullas ha-

habita ratione refractionis, neque cuiuspiam eiusmodi diminutionis in Martis infima parte solum reponat, distantem scilicet à centro mundi semid. terre 1677. ac octaua sphera distas à centra ex Albategno semid. 19000. ex Alphagrano pluribus, ut longe infra octauam speram, vel qua alcissimam facit parallaxim eam reponat, longe igitur aliam meam rationem hic refere, atque vere sit, considerent hinc Lectores, quam cōgruac meis diētis illa rationis, quam ipse adbibet, retortio sci- licet.

Hoc argumentum in ipsum autorem retor- Glor.
queri potest, nam observationes ab ipso in colla-
tionem adductæ ex omni parte tutæ & securæ nō
sunt, ergo non bene probatum est stellam illam
in elementis fuisse.

Neque ego argumentor ex eo quod stella in elemen- Clar.
tis fuerit, neque ex eo quod obseruationes Lantgrauij er- Pag. 60
roneas accusem, immo supponendo & admittendo obser-
uationem eius, quam ut mihi contrariam consideras
Gloriosus, ex illo ipso deduco stellam non fuisse in octaua
sphera, cum aliquam parallaxim exhibeat, nulla est er-
go hic argumenti retortio, dum per meas propositiones
aut oppositas non procedat eius ratiocinatio, verum an-
tiquum iam errorem renouat, quasi ego obseruationes
veras profitear, & quasi absolute ostendam stellam
fuisse sublunarem; Si nouatores ipsi veritati renuncia-
uerint certe Peripatetici exaltaverint vocem, non ergo

vos ex illis obseruationibus ex duetis ab illis argumentis amplius obiecere potestis Mathematicam evidentiam repugnare antiquo de sede nouorum phenomenon placito, cessest itaque iactantia Tychonis, postquam non nos obseruationes negamus, sed vos nouatores ipsi diserte negotatis, Mathematicis scilicet rationibus coacti.

Glor. Quare cum diurno motu agitabatur, potius dicendum est in octaua sphera inter fixas dominicas & sedem habuisse, quam in elementis.

Clar. Quomodo potius mihi Glorioso? si omnes collationes Pag. 6: etiam tibi acceptiores aliquam parallaxim demonstrat, & tu nullam adducis omni parallaxi priuaniem, erit potius in octaua sphera?

Profecto Claramontius extra limites controversiae diuagatur, & quod turpius est, nec tangit quidem argumentum meum; ipse enim volens labefactare obseruationem Lantgrauij, per quam deducitur stellam illam à mundi centro distans terræ semid. 1677. vtitur hac fermè ratione, si stella illa à mundi centro distasset terræ semid. 1677. vtique extisset in orbibus planetarum, nam hæc distantia semid. 1677. maior est, quam distantia Lunæ, at minor quam distantia octauæ sphæræ à mundi centro, ergo si ibi constisset, necessariò mota fuisset ad motum illius orbis, nempe orbis Martis, cui competit præfata distantia semid. 1677. attamen fuit immota, mo-
tu

tu dūtaxat diurno ciebatur, ergo in octaua sphæra reponenda est.. vel in regione elementari , hoc est in igne , vel in suprema aeris parte, quæ motu diurno tantum agitantur , sed ipse per collationes obseruationum ostendit stellam illam fuisse sublunarem , igitur obseruatio Lantgrauij, per quam deducitur stellam illam à muudi centro distasse terrenæ semid. 1677. erronea est; Retorqueo ego argumentum , & dico, si stella illa dumtaxat motu diurno agitabatur, & necessario reponi debeat, vel in octaua sphæra, vel in elementis, non potest inquam poni in elementis , nam obseruationes, per quas is deduxit stellam sublunarem fuisse , nō sunt omnino tutæ, ac securæ, quare potius dicendum est stellam illam in octaua sphæra constitutæ quam in elementis .

At exclamat Claramontius me suam rationē deprauasse, non ego argumentor inquit ex eo, quod stella fuerit in elementis (hoc deduco, non ex hoc deduco) sed quoniam omnes collationes aliquam parallaxim in stella ponunt, adeoq; omnes infra octauam sphæram reponant ; & paulo infra, si omnes collationes etiam tibi acceptiores aliquam parallaxim demonstrat, & tu nullam adducas omni parallaxi priuantem , erit potius (stella illa videlicet) in octaua sphæra ? Non tangit inquam argumentum meum, ego nullam feci mentionem de parallaxi illius stellæ, neque illam regis posui


posui in octava sphæra per carentiam parallaxos,
nec argumētatus sum vlo modo per parallaxim;
Ego equidem argumentacus sum ex eo, quod stel-
la illa dumtaxat motu diurno agitabatur, ergo
vel fuit in octava sphæra, vel in elementis, non
potest dici, quod fuerit in elementis, nam obser-
vationes ab ipso in collationem adductæ ex omni
parte certæ ac securæ non sunt, quare conclusi po-
tius dicendum esse stellam illam in octava sphæ-
ra constitisse, quam in elementis.

C A P V T . X V.

E Numeravi distantias nouæ stellæ à superfi-
cie terræ secundum mundi diametrum,
tam ex prima quam ex secunda indagine,
me defecisse scribit Claramontius in collatione
nona indaginis primæ, ex qua deduxi stellam il-
lam à terris distasse mill. 232. Praefata distan-
cia repetitur à me nominata pag. 10. mill. 232. &
pag. 11. mill. 252. At non animaduertit hic vir,
quod iste defectus est defectus impressoris, & nō
calculi à me instituti, debet enim esse mill. 292.
impressor pag. 10. pro. 9. posuit 3. & pag. 11. pro. 9.
posuit. 5.

Reposita figura sic ipse argumentatur, in trian-
gulo

galo BCD, est ut 436 (sinus anguli BCD) ad
39046 (sinus anguli BDC) ita latus BD ad latus



BC, est BD mill. 7. $\frac{11}{1000}$. erit ergo ex regula aurea
BC mill. 63. proxime; At ego argumentatus sum
ut 436.ad 39046. ita 7. (abiecta minutia)ad 626
 $\frac{186}{436}$ & pro hoc numero 626. $\frac{186}{436}$ accepi numerum
integrum 627. & tot mill. constitui rectam BC;
Cum itaque angulus CBE fuerit grad. 67.20. di-
stantia scilicet visa à vertice Buschij, erit angulus
deinceps CBA grad. 112.40. terræ se mid. AB. est
mill. 3035. quare accepta recta BC mill. 627. or-
rietur triangulum obliquangulum CAB, cuius
duo latera AB, BC cognita sunt cum angulo co-
prehenso CBA, quapropter erunt reliqui duo an-
guli BCA grad. 57.19. BAC grad. 10.1. Ad haben-
dum itaque latus AC sic processimus, ut sinus
anguli BCA. 84167. ad sinus anguli CBA. 92276.
ita

ita latus AB mill. 3035. ad latus AC mill. 3327.
~~et~~ ex quo subducta semid. AB mill. 3035. rema-
nent mill. 292. abiecta fractione, & per tot mill.
distauit stella noua à superficie terræ secundum
mundi diametrum, si recta BC fuerit mill. 627.
At ipse dicit hic, quod præfata distantia erat solū
mill. 63. sed ex emendatione mill. 630. Inequalis
inquit fuisse distancias ex varijs collationibus per cal-
culos à me deductas verum est, & recte eas enumerare
Gloriosus solum in nona deficit, erat enim illa solum
mill. 63. at ex emendatione in defensione mill. 630.
Pag. vero 22. noto autem ex collatione nona prima in-
dagini non deduci distantiam mill. 252. ut hic dicit,
sed mill. 630. ut in defensione aduersus Galileum emen-
dauis, nam in libro de Tribus exciderat cifra 0, ut ibi in
Defensione dixi; Sanè allucinatur hic Claramon-
tius, nam is intelligit distanrias à superficie terræ,
nempe à situ obseruatoris, hoc est rectam BC,
quod clarus exposuit in sua Defens. par. 3. cap. 18.
Non voglio però restar di non conoscer candidamente
e riceuer l'emenda del calcolo della mia nona dimostra-
zione per la prima via, & è la combinazione delle of-
feruationi del Lanigrario e del Buschio, nella quale io
concludo la distanza della stella dalla terra miglia 63.
douendo esser 630. che cadè inauedutamente il zero, e
mancò la mia solita diligenza di far le prove successua-
mente i calcoli; At ego numeravi distancias se-
cun-

cundum mundi diametrum AC, & per distantiam à terris intelligo portionem rectæ AC interceptam inter superficiem terræ & locum stellæ C.

Sed quælo instituamus calculum secundum eius emendationem , supponendo rectam BC mill. 630. quare accepta recta BC mill. 630. orientur triangulum obliquangulum CAB, cuius duo latera AB,BC cognita sunt cum angulo comprehensione CBA, quapropter erunt reliqui duo anguli BCA grad. 57.16. BAC grad.10. 4. vt igitur sinus anguli BCA 84120. ad sinum anguli CBA. 92276. ita latus AB mill. 3035. ad latus AC mill. 3329. $\frac{22180}{84120}$. ex quo subducta semid. AB. mill. 3035 remanent. 294. $\frac{22180}{84120}$. & per tot mill. distauit stella noua à superficie terræ secundum mundi diametrum, si recta BC fuerit mill. 630. differentia ergo inter meum & suum calculū erit dumtaxat duorum milliar. Quomodocumq; igitur accipiantur hæc distantia , siue mill. 292. posita recta BC mill. 627. siue mill. 294. posita recta BC mill. 630. constat evidenter stellam illam terris fuisse vicinissimam .

Sed dato, quod fuerit error calculi, non debet notari sub nomine defectus , nam dum dicit me defecisse, significare voluit me præfatum calculū absoluere nesciuisse , quod dicendum non est , nonne ipse quoque errauit in calculis Lib. 3. Cap.

18. sui Antitychonis? quos tamen errores emen-
dat & corripit in Apologia aduersus Keplerum.
Lib. 2. Cap. ix. sic enim scribit in principio præfati
capitis; *Nullus error frequentior & facilior est erro-
re calculorum, ideoque sciens ego me communi hac lege
non esse exceptum calculos meos non implicitos, sed ex-
plicitos in suasque singillatim operationes distinctos ex-
posui semper, ut ego facilius omnem errorem praecauerem,*
*& si quid errassem, lectores minori difficultate agno-
scerent errorum & emendarent, fateor nunc in capite iam
expenso irrepuisse errorum emendandum; & paulo infra,
qua ratione errauerim, nec errorum meum animaduer-
terim, unde demum intellectus mei hac in re eclipsis,
non satis scio, candide errorum meum confiteor; cumque
mihi sumo, non autem scriptori do, multo minus Typo-
grapho.*

C A P V T X V I.

Methodum Claramontij hoc altero ab-
surdo peccare scripsimus, nam si nos
consideremus obseruationes selectas
& potiores, quas in collationem adduxit, inue-
niemus maximam discripaniam in determinan-
da stellæ illius nouæ à mundi centro, siue à super-
ficie terræ distantia, At hanc distantia discripan-
pa 663, siam pro absurdo is non habet, exemplo distatia-

Lu-

Lunæ à centro , de qua re latius disputat in sua defensione aduersus Galileum Par.3. Cap.vi. quā integrā hic apponam .

Io dico adunque che ha bisogno la conseguenza di distinzione, perciò che le conclusioni fra loro diverse, ben sono assolutamente false, quando tali sono, che una sola è semplice verità può conuenir loro , ma quando possono esse con tutta la loro differenza e discrepanza in qualche comune parte conuenire, possono riceuerci nella parte comune per vere, e così nell' Astronomia stessa si pratica v.g. la distanza lunare minima trouò Tolomeo semid. 33. 33. il Copernico la trouò semid. 52. 17. Tychone la trouò semid. 52. 24. Non riceuiamo noi per certo, che la distanza almeno , sia quella, in che conuengono tutti , cioè semid. 33. 33.? del resto se sia maggiore, lasciamo in indagine essendo certi , che due delle tre osservationi siano errate , ò in più ò in meno , così nella differenza delle lontanenze pur lunari nella sua massima remotione dalla terra , e nella sua massima vicinanza , la qual differenza è secondo Tolomeo di semid. 30. $\frac{2}{5}$ secondo il Copernico di semid. 16. intieri , secondo Tichone di semid. 8. $\frac{1}{5}$ in tal discordia reputaremo però vera la distanza almeno di semid. 8. $\frac{1}{5}$ nella quale tutti consentono , e nel sopra più reputaremo ò falso Tichone, che lo nega , ò falso Copernico , che ne ammette 16. ò molto più falso Tolomeo , che ne ammette maggior somma , ò crederemo vero Tolomeo , e mancheuoli gli altri due , e così

dell' altre differenze ; laonde conuenendo hora tutte l' osservazioni e combinationi da me addotte nel render sottolumare la stella , in questo debbono effer ammesse per vere, nella quantità poi deuono efer reputate per la differenza loro ò false tutte, ò una sola vera, ma tutte incerte : Così pure nella grandezza della terra, sono osservazioni diuerse, per le quali altri il suo giro fanno di miglia 5000. come quelli Matematici, che referisce Aristotele, altri 31500. come Eratostene, altri 34625. come Hipparco, Tolomeo 22500. Alfragano 20400. i moderni 19080. non concorderemo tutti in credere , che la terra sia almeno 19080: nel che tutti s'accordano, et insino à tal grandezza uniformi sono ? Non è dunque nell' istessa Astronomia la conseguenza conceduta, sono le osservazioni diuerse , adunque sono totalmente false , perche quando in una parte tutte conuengono, in quella s'hanno per vere .

Discrepantia, quæ reperitur inter Astronomos circa stellarum distantias à terris, procedit ex varijs hypothesisibus ; quarum eæ recipi debent , quæ ex accuratioribus observationibus firmatae cum ipso cælo magis consentiunt , hinc factum est quod Ptolemæicæ de Luna hyatophyses iam abolitæ sint , tanquam cælo non congruentes, ut animaduerterūt Copernicus lib. 4. cælest. Reuol. Tycho lib. primo pag. 118. nouissime Philippus Lansbergius in sua Vranometria , & ante omnes

Re-

Regiomontanus lib. quinto Epitomes Prop. 22.
Ad discrepantiam vero terrestris ambitus respondet Miurolycus, quam ex eo accidisse cōtendit, quia artifices varijs mensurarum generibus vñi sunt, quemadmodum & Agri mēsores diuersi diuersis dimensionum differentijs vtuntur, de qua re consulendus est Villebrordus Snellius, qui in suo Eratostene Batauo veterum & recentium placita circa terrestris globi Geodæsiam summa cum solertia examinavit, & quid ab unoquoque sit peccatum, diligenter animaduertit, Ratiocinatur itaque Claramontius, si ob discrepantiam Astronomorum circa Lunæ distantiam à terris, ac circa terrestris globi ambitum definiendum, non habetur pro absurdō, quod ea intentia amplectetur, quæ communiter pro veriore habetur, sic pro absurdō existimari non debere, quamuis ex diuersis observationibus, variae & discrepantes deducatur stellæ huius à mundi centro distantia, eas tamen distantias amplecti oportere, quæ cōmuniter ipsam lunarem faciunt; Dico quod ratio dispar est, nam & si Astronomi varias assignarunt Lunæ distantias à mundi centro, ac varie senserunt de terræ ambitu, methodus sanè, quæ ipsi vñi sunt, obiurgari non potest, quamuis aliquiter ab eis peccatum sit, at in casu nostro res aliter se habet, nam & si plerique observationes in

in collationem adductæ, faciunt stellam sublunarem, id ex methodo non legitima processisse contendimus, mitto quod quædam aliæ obseruanes in collationem adductæ ponunt stellam ipsā supra Lunam, de qua re in parte posteriore huius libelli.

C A P V T X V I I.

ARIST.lib. 2. de cælo tex. 48. volens ostendere stellas non moueri motu cōuerisionis seu vertiginis, sic locutus est; Si enim vertigine agerentur, & tique manerent in eodem, & non mutarent locum, quod & videtur & omnes dicunt, Amplius autem omnia quidem rationabile est eodem motu moueri, solus autem astrorum Sol hoc facere videtur oriens & occidens, & iste non per se, sed ob elongationem nostri visus visus enim porrectus longe voluntur propter imbecillitatem, quæ forte causa est, ut scintillare videatur stellæ fixæ, planetæ autem non scintillare, planetæ enim prope sunt, quare visus potens existens ad ipsos peruenit, ad manentes autem tremit propter longitudinem porrectus longe valde, tremor autem ipsius facit astri videri esse motum, nihil enim refert mouetur visus, an id quod videtur; Accusat me Claramontius quod non totam sum assequutus Aristotelis mentem, cum scriplerim Aristot.

asseruisse stellas fixas scintillare non autem planetas, quia stellæ fixæ magis distant à nobis quam planetæ, Aristot. ibi, inquit Claramontius, de stellis proculdubio loquitur, ut propositiones, quod prope est nō scintillat, ad stellas refringi debeant, nimirum omnis stella extans prope non scintillat, & stella longius extans scintillat, neque verum est omne scintillans in octaua sphera esse, sed solum omnem stellam scintillantem in octaua sphera esse, & hanc esse Arist. præterea mentem, patet ex eius principijs, nam flamma secundum illum est in perpetua generatione & fluxu, ut necesse sit coniunctam illi esse vibrationem quandam, Verum in stellis cum ex eius sententia nullam generationem & nullam interiorem alterationem patientur, solum ab extrinseca causa scintillatio pendere potest, vel scilicet ex oculi nostri, vel radij nimium protensi imbecillitate, vel simul; Hæc sane interpretatio non est ad rem, & non tangit punctum controversiæ, Arist. enim manifeste loquitur, quod stellæ fixæ scintillant ob distantiam, planetæ autem nequaquam ob propinquitatem, quomodo cumque accidat scintillatio, siue ob debilitatem visus, siue ob alias causas, propterea que nos subiunximus, ergo stella noua, quæ scintillabat ad similitudinem fixarum, debet reponi in octaua spæra, hoc est in eodem mundi situ cum stellis fixis.

CA-

C A P V T X V I I I .

ARgumentabar ego ex Tychone, quod stella noua nunquam mutauit sicutum à stellis fixis, & solo motu diurno agitata est, ergo Pag 67 fuit in octaua spæra, insititia, inquit Claramontius, nam etiam ignis & aer supremus solo motu diurno in circulum mouentur ex positione schola immo scholarum, quam positionem cum non redarguerint, neq; redarguere potuerint, non est cur possint contrariam propositionem pro vera & certa sumere, quare stella illa potuit esse in aere supremo vel igne. Existimo equidem quod hic dissimulet Claramontius se nescire Philolophos illos, quos ipse nouatores appellat, nullum admittere ignem sub Luna, nullosque orbes concedere reales & solidos, à quorum motu ignis & aer supremus in circulum conturbentur; Argumentabor quoque stellam illam locari non potuisse in igne vel aere supremo, nam & si aer supremus vel ignis motu diurno moueantur secundum ipsos, tamen non possunt moueri vniiformiter ac eadem velocitate cū cælo, quare si aliquod phænomenon ibi fuerit, ad longum tempus mutabit distantiam à stellis fixis, quod in stella noua obseruatum non est, rationem eam esse puro, quia aer supremus vel ignis corpora tenuvia sunt & flu-


fluxilia, quæ receptam cœlestis motus energiam.
 & vigorem diu ac uniformiter cōleruare non pos-
 sunt, quod ex eodem Claramontio deduximus,
 qui disputans contra Copernicum lib. 3. de Tri-
 bus pag. 480. hæc habuit, aerem ob tenuitatem ve-
 ro & fluorem suum non prorsus hærere adeo corpori soli-
 do, ut uniformi positu illi perpetuo comitetur.

Ad isthæc respondet Claramontius, verum ne-
 gaui ego non uniformiter moueri motu diurno ignem
 cum contermino cœlo, & aerem cum igne, si scilicet uni-
 formitatem similitudinis & proportionis intelligamus,
 non equalitatis, declaro dictum, est uniformitas simili-
 tudinis, cum puncta maioris & minoris orbis contenti
 nempe & continentis in eadem semidiametro producta
 existentia in circumvolutione, in eadem semper semidia-
 metro perseverent; At non erit uniformitas equalitatis,
 quoniam puncta contenti orbis ac minoris minus spaciū
 transeunt, quam puncta orbis maioris, At argumenta-
 tur ad hominem, hoc est ex meis dictis Gloriosus, ego di-
 sputans contra Copernicum lib. 3. de Tribus pag. ibi
 480. hec habui, quæ ipse refert, Aerem ob tenuitatem
 vero & fluorem suum non prorsus hærere adeo corpo-
 ri solido, ut uniformi positu illi perpetuo comitetur, eli-
 cit ex his non posse per me ipsum aerem & ignem uni-
 formi motu cœli motū consequi, que tamē illatio longē
 dispar est, ignis & aer sequuntur motum cœli diurnum
 instinctu, & impulsu naturæ uniuersalis ob conspira-

G. tio-

cionem totius in totum, & partis in partem, ut in microcosmo obseruauit & asserit Hippocrates, non secus atque partes corporis animalis sequuntur naturali instinctu animę ductum, licet ipse per se, & ratione sue gravitatis sint ab eiusmodi motu plerumque aliena; At contra Copernicum differebam de motu violento, si poseretur scil. aerem moueri à terra violento ductu.

Claramontius duplcem facit vuniformitatem motus, vel enim duo mobilia mouentur vuniformiter vuniformitate similitudinis, vel vuniformiter vuniformitate æqualitatis, asserit ignem & aerem supremum moueri cum cælo contermino vuniformiter vuniformitate similitudinis, sed nō vuniformiter vuniformitate æqualitatis, pro qua re explicanda sumatur schema, quod ipsem adducit pag. 77. sui examinis, Circulus maior representet cælum, & circulus minor supremum aerē vel ignem, nulli dubiu est spacia CE, BD similia esse sed non æqualia, At cōmittit paralogismū Claramōtius, quia putat ignem & aerem esse eiusdem consistentiæ & soliditatis cum cælo, propterea que existimat punctum B semper existere in eadem semid. AC, & consequenter sē- per



per subesse cæli puncto C, atque eadem celeritate moueri; Dico portionem aeris vel ignis existentem in B non semper esse in eadem semid. AC, & cōsequenter non semper subesse cæli pūcto C, atque eadem celeritate moueri, quia aer & ignis sūt corpora tenuia & fluxilia, quæ receptā cœlestis motus energiam & vigorem diu ac vniiformiter conseruare non possunt, & in hoc constitutis & efficacia rationis meæ; Quamobrem si phænomenon fuerit in B, fieri potest quod non perueniat at D, dum cæli punctum C peruererit ad E, & consequenter spacium, quod pertransit phænomenon, nullam habebit vniiformitatem similitudinis cum cælo respectu motus diurni; Quantum vero ad secundum caput, video quod Claramontius differentiam facit inter motum aeris, quatenus rapitur à cælo, & motum aeris quatenus rapitur à terra, nam aer inquit sequitur motum cæli diurnum instinctu & impulsu naturæ uniuersalis ob conspirationem totius in totum & partis in partem, at aer violento ductu trahitur à terra, ego sanè nullam video differentiam, ac vterq; motus violentus est, cum sit à corpore extraneo, quemadmodum enim cælum rapit aërem sibi contiguum, sic & tellus, si ponamus terram motu diurno agitari ac circumvolui; Quæ vero dicit de motu aeris, quod sequitur motum cæli diur-

num instinctu & impulsu naturæ vniuersalis, ob
conspirationem totius in totum , & partis in par-
tem, nihil ad nos, qui aliam putamus esse mundi
constitutionem, de qua re alibi dictum est.

C A P V T X V I I I .

Scipseram enim ego pag. 23. Claramontiū
cōtendere obseruationes Tychonis ob vi-
tium refractionis , vel non accuratam in
obseruando diligentiam , vel ob alios defectus ,
legitimas non fuisse , & pro responsione subiun-
ixeram, quid ad hoc dicēdum sit, me prorsus igno-
rare,cum sit quæstio de facto ; H. esitatio, quam fa-
Pag. 82 tetur Gloriosus, inquit Claramontius, satis superque
confirmat , quod ego contendō, scil. non esse certas, non es-
se necessarias rationes pro cælesti sede stellæ nouæ, ut eas
iactabat Tycho , nam si Gloriosus est incertus , Mathe-
maticus cum sit, & nequaquam studio partium Aristó-
telicarum occupatus , nō ergo rationes adductæ sunt certæ
& demonstratiæ; Verum quod dicit quæstionem esse de
facto, non est usque quoque verum, ego oppono collatio-
nibus Tychonis ambabus in quarta comprobatione mi-
norem passas differentiam obseruatarum stellæ altitudi-
num, quam latitudinis regionum, est ne hoc facti an ius-
ris, ut ita dicam, cum sint calculi in prospectu? & quā-
do oppono acceptam distantiam visam à Tychone pro
ve-

vera, est ne facti an scientia & demonstrationis discer-
 nere & iudicare veritatem? Duo enim obijcit Clara-
 montius Tychoni, non accuratam in obseruan-
 do diligentiam, & quod eius obseruationes refra-
 ctionis vitiò laborarunt, Quoad primum diximus
 me proflus ignorare, cum sit quæstio de facto, per
 quæstionem de facto ego intelligo, num Tycho
 sciuerit tractare Astronomica instrumenta, &
 Astronomicas obseruationes exercere, hoc est
 dicere volui, de hæ re scil. non esse dubitandum,
 proptereaque subiunximus, existimo euidem
 Tychonem Astronomum fuisse in obseruan-
 do satis accuratum, & in hac pragmatia maxime
 versatum; At ipse aliter interpretans sensum locu-
 tionis meæ, cum dixerim quid ad hoc dicendum
 sit proflus ignoror, cum sit quæstio de facto, in-
 quic me hæsitare, & per hanc meam hæsitationem,
 me satis superque confirmare non esse certas, &
 necessarias rationes pro cælesti sede nouæ stellæ,
 vt eas iactabat Tycho: Quantum vero pertinet
 ad refractionem, diximus Tychonem vitium re-
 fractionis optime animaduertisse, cum ipse pri-
 mus fuerit, qui Astronomos monuerit refractionem
 in obseruationibus præcauendam esse; Tycho certe
 primus, inquit Claramontius, monuit refractionem Pag. 83
 præcauendam operibus publice editis, at ego ante eius ope-
 ra edita anno scil. 1588. lucubrationibus meis refra-
 ctionis

ctionem praeauendam ex Alhazeno & Vitellione ostendit, sed quid? neque Tycho prior operibus editis refractionem habere locum in cœlestibus monuit, verum tanto prius Alhazenius lib. 7. Opt. Prop. 15. sequutus est Vitellio; Putat Claramontius me Alhazenum & Vitellionem non vidisse, at is non animaduertit quod hi de refractione egerunt, ut Optici, sed non ut Astronomi, hoc est dumtaxat ostenderunt stellas per refractionem videri, ob dissimilarem cœli & aeris diaphanitatem, at non determinarunt refractionum magnitudinem, secundum stellarum varias ab horizonte eleuationes & distantias, quod opus Astronomis summopere necessarium est, quam pragmatiam primus absoluit Tycho.

C A P V T X X.

ET si in antecedentibus pluries me peccasse
scripserit Claramontius, tamen video
quod in peroratione totam meorum peccatorum congeriem ad quinque tantum capita principaliter reducit, sed pretium est operæ ipsum exaudire de meis peccatis alloquentem.

Pag. 37
Concludo hac in disputatione Gloriosum parum admodum considerate scripsisse, ut considerationis defectus doctrina eius Mathematicæ plurimum affecerit. Hinc processit, quod non animaduertit conclusionem meam libro

libro de Tribus hypotheticis eſe , non abſoluteam & categoricam, non et conclusio ſtellam fuifſe ſublunarem , ſed fuifſe ſublunarem, ſi obſeruationes eorum Astronomorum plures ſaltem & potiores admittantur pro veris ; unde neque ego contendō obſeruationes eſſe veras, immo concedo cūnem facultatem earum veritatem negantibus , ita enim ſarcitur impugnata à nouatoribus , propugnata à me doſtrina ſcholæ ; Ex eadem incoſideratione factum eſt, ut non viderit ac agnouerit demonſtrationem prima in dagine à me vſurpatę, proinde certe intellexerit vera ne eſſet an falſa, ſed ſuspitione contentus fuerit in problematis Geometrici iudicio ; Pariter non aliunde profecta eſt incoſtantia dictorum, dum optime à me concludum afferit ex obſeruationibus Astronomorum, ſi ut vere admittantur, ſtellam fuifſe ſublunarem, & tamen in dubium deinceps methodum ipsam, qua deduxi, reuocat, & ea ratione vtitur, qua certe vi- ri doctrinam nequaquam redoleat , ut ſolido Mathe- matico indignam; Fuit quoq; paruę attentionis effectus, inquisitio differentia parallaxis peccatum in ea re ipsius Parte 3. Capite ſupra 6. Sicut erroris alius, dum in eadem inquisitione pro dato ſumit quæſium, ut vicif- ſim pro quæſito datum Cap. v. in fine.

Hisce obiectionibus abunde ſatisfecimus, re- ſpondimus ad primam Cap. 13. reſpondimus ad ſecundam & tertiam Cap. 1. & 4. reſpondi- mus

mus ad quartam & quintam Cap. 8. Immo quicquid à nobis in antecedentibus dictum est & dicetur in subsequentibus, ad hunc finem elaboravimus, ut eius obiectionibus satisfacere mus, atque doctrinam nostram confirmaremus.



PARS

PARS POSTERIOR.

CAPUT I.



Cipio Claramontius hoc habuit pro scopo ex observationibus scil. Tychonis & aliorum Astronomorum ostendere stellam nouam, quæ apparuit in Cassiopeia anno 1572. sublunarem fuisse, candidate tamen proficeretur hanc suam conclusionem esse conditionalem & hypotheticam, non autem absolutam & categoricam, hoc est si observationes Astronomorum pro veris admittatur; Methodus, qua ipse usus est, procedit comparando observationes factas in diversis terræ locis. Ad hanc suam conclusionem comprobandam quinque indagines constituit, ex quarum prima duodecim collationes fecit, ex secunda nouem, ex reliquis singulis, ex hisce inquam omnibus collationibus adinuenit stellam illam nouam infra Lunam constituisse; Sumantur ergo collationes primæ indaginis, & per calculum constabit (supposita terræ semidiometro, ut sumitur ab autore milliar. 3035.) stellam nouam secundum mundi diametrum à

H su-

superficie terræ distasse ex prima collatione mill.
 5797. ex secunda. 73307. ex tertia 54600. ex quarta
 24506. ex quinta 10272. ex sexta 3549. ex se-
 ptima 92005. ex octava 1045. ex nona 292. (sup-
 posita recta BC mill. 627. at. 294. supposita recta
 BG mill. 630. ut diximus cap. 5. antecedentis par-
 tis) ex decima 567. ex undecima 35731. ex duo-
 decima 17880. Sumantur item collationes secun-
 dae indaginis, & inueniemus stellam illam à su-
 perficie terræ secundum mundi diametrum ab-
 fuisse ex prima collatione iuxta parallaxim Lant-
 grauij mill. 56793. iuxta parallaxim Tychonis
 mill. 28982. ex secunda Lantgr. 20530. Tych. 50638. ex tertia Lantgr. 79004. Tych. 30233. ex
 quarta Lantgr. 46714. Tych. 22233. ex quinta
 Lantgr. 70211. Tych. 31470. ex sexta Lantgra
 66849. Tych. 33147. ex septima Lantgr. 28703. Tych. 14140. ex octava Lantgr. 27654. Tych. 12851. ex nona Lantgr. 14493. Tych. 2352. Item
 ex collatione unica indaginis terræ iuxta paralla-
 xim Tychonis mill. 27262. iuxta parallaxim
 Munosij mill. 83185. Item ex collatione uni-
 ca indaginis quantæ deducitur stella subluna-
 ris, comparando obseruationes Tychonis &
 Gasparis Peuceri, ex hoc prius habito ratiocinio;
 nam lib. 3. Antitych. cap. 4. dicit se demonstrasse,
 si in differentia latitudinis locorum, quanta inter
 Lant-

Lantgrauium & Tychonem intercedit, phæno-
menon eodem tempore utrumque obseruatum
patiatur differentiam in longitudinibus visis
gr. o. 10. 15. in visis autem latitudinibus gr. o. 24. o.
futurum esse phænomenon sublunare, distans lo-
lum à terra centro quatuor terræ circiter semidia-
metris; Item dicit se demonstrasse Cap. 5. captis
duabus observationibus, altera Lantgrauij; altera
Tychonis; cometæ anni 1577. (quæ obseruationes
in idem tempore conuenere) differentia au-
tem existente inter longitudines visas gr. o. 15. in-
ter latitudines icidem visas gr. o. 24. (estat distantia
visa cometæ à vertice Lantgrauij gr. 8 1. 50. & Ty-
chonis gr. 8 6. 3 4.) distantiam cometæ à centro non
fuisse maiore mil. 24276. nepe circiter le mid: 8.
terram à mundi centro distans; Cum itaque diffe-
rentia longitudinum visarum Tychonis & Peuceri
fuerit minut. 54. latitudinem autem minut. 18. &
hæ differentiae maiores sint quam illæ, ex quibus
is ostendit lib. 3. Antitych. cap. 4. & 5. cometam
 anni 1577. sublunarem fuisse, ergo à fortiori stella
 noua fuit magis sublunaris, quam cometæ ille
 anni 1577. Demum ex collatione vnius indaginis
 quintæ iuxta parallaxim Genimæ mil. 26847
 iuxta parallaxim Tychonis mil. 25501. Apparet
 itaque manifesto ex prefatis calculis stellæ illæma

nouam infra Lunā constitisse, Luna enim distat à superficie terræ secundum dimensionem Ptolemaei (sumpta videlicet hac distantia secundum mundi diametrum) mill. 98233.

C A P V T . I I .

Claramontius eas obseruationes in collationē adduxit, quas existimauit potiores & magis accurate habitas, & ex his deduxit stellam illam nouam fuisse sublunarem; At nos animaduertimus quod is cap. 4 t. lib. i. de Tribus adinuenit stellam illam à mundi centro distasse iuxta parallaxim Lantgrauij terræ semid. 40. 78. 1677. iuxta vero parallaxim Tychonis terræ semid. 35. 76. quæ omnes distantiae ponunt stellam supra Lunam secundum dimensionem Ptol. qui statuit Lunam, dum terris vicinissima est, à mundi centro distare terræ semid. 33. Claramontius quoque asserit in sua Defens. aduersus Galileum Par. 3. quod Galileus (hūc Galilei librū non vidimus) per eandem methodum, comparando scilicet obseruationes factas in diuersis terræ locis, non solum adinuenit stellam illam in diuersis spacijs supra Lunam extitisse, immo etiam in octaua sphæra in contubernio cum fixis; Has omnes obseruationes, quæ stellam cælestem faciunt, mul-

multis nominibus redarguit Claramontius obseruationes enim Langrauij & Tychonis, de quibus is agit lib. 1. de Tribus cap. 41. admittendas non esse contendit, tanquam refractioni obnoxias, vel alterutro eorum errorum, qui refractionis in contrahenda parallaxi vicem supplerent, obseruationes vero, quas comparauit Galileus, quoque damnat & prosternit, nam quedam ait eodem refractionis morbo laborarunt, quedam fuerunt falsæ, & quedam aliæ incertæ, hæc quod Galileus usus fuit obseruationibus Tychonis in secundo scripto, quæ potius imaginationes sunt quam obseruationes, cum ab illo conscriptæ atq; emendatae fuerint annis 18. post illius stellæ interitum, & de munus quia peccauit in Geometricis, nam absurdi triangulum, cuius tres anguli fuerunt modo minores modo maiores duobus rectis. In summa apud hunc autorem nulla harum obseruationum collatio legitima est, ex qua deduci possit stellam illam cælestem fuisse.

Sed quælo consideremus isthæc diligentius, nam video quod Claramontius sincere fatetur ex aliquibus obseruationibus ostendi posse, stellam illam in cælo constitisse, si obseruationes combinari potuissent, sic enim ait in sua Defens. pag. 119. *Non è dunque mia proposta ne assertione, che le obseruationi fußero vere, ma essendo vere, che la stella fuße sot-*

to la Luna, Ne anco dico di tutte le osservazioni,
 più e le migliori, perchè alcune essere, che quella stessa
 la rendessero in cielo, io stesso in quel libro mostro
 non potersi elleno combinare; Sed profecto libenter
 quererem à Claramontio, quomodo is animad-
 ueterit ex aliquibus observationibus ostēdi pos-
 se, stellam illā in cælo constitisse, si observationes
 combinari potuissent, nam prius periculum fa-
 tiendum est, si observationes admittant combi-
 nationem, deinde ex parallaxi vestigare distantia
 à mundi centro, quare si combinatio non est pos-
 sibilis, derelinquitur vestigatio parallaxis, & con-
 sequenter ignoratur distantia à mundi centro;
 Amplius manifestum est ex observationibus A-
 stronomorum illius temporis, quamplurimas fie-
 ri posse combinationes, Claramontius dum taxat
 exhibuit combinationes 43, ut implere scribit in
 sua Defens. pag. 197. & in hoc examine pag. 40.
 rationem reddit lib. 1. de Tribus pag. 101. dum
 loquitur de combinationibus ex prima indagine,
 Quas omnes inquiens si nos prosequuti fuissimus, infi-
 nitum proptermodum opus reddidissimus, quo circa sat
 fuit & potiores conferre, & singulorum observationum
 aliquam, studio itaque breuitatis duodenario numero
 collationum contenti fuimus; Alia quoqueratio accessie-
 contrahendi numerum collationum, multe enim obser-
 vationes comparationem non admittunt; Duas itaque

re-

refertationes Claramontius, cur omnes obserua-
tionum combinationes non est prosequutus, Pri-
ma fuit studium breuitatis, Secunda quod earum
aliquæ comparationem non admittebant, sed
quæritur qua industria & solertia ex tot obserua-
tionum aceruo se eas obseruationes cognouisse,
ac selegisse, quæ comparationem admittebant,
& quæ non admittebant, ergo fuit necesse de
omnibus periculum facere, tenebatur sanè
candide recensere combinationes omnes possi-
biles & impossibiles, puras & impuras, alioquin
adhuc remanet scrupulum, num inter eas obser-
uationes, quas studio breuitatis omisit, reperi-
antur aliquæ, ex quarum combinationibus appa-
reat stellam illam cælestem fuisse, hinc à nobis
pluries dictum est, eum ope & auxilio quarum dā
obseruationum, quibus est vlus, recte pet calcu-
lum deduxisse, stellam illam fuisse sublunarem.
Quamobrem cum is non omnes obseruationum
combinationes recensuerit, absolute ab eo pro-
batum non est ex Astronomorum obseruationi-
bus stellam illam intra Lunam fuisse, nam si for-
te fortuna ex aliquibus combinationibus con-
stasset stellam illam supra Lunam sedem ac do-
micionum habuisse, eius conclusio prorsus er-
ronea fuisset, cum una atque eadem stella &
supra & infra Lunam extitisset; suspectus hac in re
mi-

mihi videtur, nam cap. i 6.lib.1.de Tribus pag. i ii.
 aperte facetur, q̄ prosequi omnes combinationes
 infinitū propemodum fuisset, satque fuit ex om-
 nibus obseruatoribus eorum temporum, quorum
 extant Meridianarum altitudinum obseruationes,
 mutuasse obseruationem, ex qua stella sublunaris
 ostenderetur, ergo ex industria & consulto eas
 obseruationes omisit, ex quarum combinationi-
 bus stella cælestis ostendi poterat.

C A P V T III.

Manifestum est itaque Claramontium, ip-
 somet confitente & attestante, non ex
 omnibus obseruationibus conclusionē
 ab ipso intentam comprobasse, stellam illam sci-
 licet fuisse subtus Lunam, sed dumtaxat ex pluri-
 bus & posterioribus, At nos animaduertimus pag. 8.
 stellam illam iuxta parallaxim Lantgrauij, corre-
 ptam tamen à Claramontio ad mentē Tychois, à
 mūdi centro abfuisse terræ semid. 45. & amplius,
 hoc est supra Lunam secundum dimensionem
 Ptol. sic .n. eo in loco scripsimus, Immo ni fallimur
 demonstratio seu collatio secunda non exhibet stellam
 sublunarem ex parallaxi Lantgrauij secundum dimen-
 sionem Ptol. nam is sumit altitudinem grad. 71.m.20.
 @r distantiam à verice visam grad. 18.m.40. ideoque
 bene

bene per calculum deduxit stellam abfuisse à mundi centro terre semid. 8. ferè, ac pag. 33. corrigis adiundinem Lantgrauij ad mentem Tychonis, atque ipsam facie grad. 73 m. 20. Et hanc sumere debebas, quare si accipiamus altitudinem correcṭā grad. 73 m. 20. erit distan-
tia à vertice visa grad. 16. m. 40. sed distantia vera
fuit adiumenta grad. 16. m. 38. sec. 11. fuit ergo paral-
axis Lantgrauij grad. 0. m. 21. sec. 49. Et distantia à mu-
ndi centro terre semid 45. Et amplius, hoc est supra Lu-
nam secundum dimensionem Ptol. Respondet Clara-
montius me vera sumere, at non recte aduersus
illum ratiocinari, nam is adhibuit observationem
Lantgrauij, non correctionem Tychonis, sic
enim ait pag. 38. *Hic multa vidit Gloriosus,* Et
vera etiam sumit, at non recte aduersus me ratiocina-
tur, ego enim adhibui observationem Lantgrauij, non cor-
rectionem Tychonis, ut hypothesi mea haeret, si verae
observationes, stellam esse sublunarem; observatio ergo
Lantgrauij, ut eius scheda fuit grad. 71. 20. Et hanc
ego sumere debebam, non correctionem Tych. si ex obser-
vatione Land. ducere argumentum volebam, at cur ego
recepī correctionem Tychonis in observationum historias
respondeo recepisse ut veriorem, at non ut Landgra-
uianam, dico autem veriorem, non absolute veram,
quoniam debebat esse altitudo visa non grad. 73. 20.
ut corrigit Tycho, sed 73. 31. 30. ut ego calculum do-
duxī, qua ratione altior adhuc stella quā semid. 45. ex-

*titiſſet, at non fuſſet collatio obſeruationis Lantgrauij
cū Tychoniana, ſed correctionis Tychonis cum eiusdem
obſeruatione.*

E quidem Claramontius sumere debebat obſeruationem Lantgrauij à Thyohone correptam & ab ipſo receptam & positam in obſeruationum historia, nempe grad. 73. 20. & non grad. 71. 20. ut patet ex eius poſtilla in margine pag. 33. quæ ſic ſe habet in codice *Tych. eft. 71. 20. at eſt error emen-
dandus ut fecimus in 73. 20. patet ex Tych. ipſo in
examine eius obſeruationis pag. mihi 496. existimo
eum hac de cauſa ſumpſiſſe altitudinem grad. 71.
20. & non 73. 20. nam ſi ſumpſiſſet 73. 20. ſtella
ipſa reponeretur ſupra Lunam, hoc eſt diſtaſſet à
mundi centro terræ ſemid. 45. & amplius, ut nos
deduximus, quod erat contra ſuam aſſertionem,
aſſumpſit vero 71. 20. ut ſtellam illam reponeret
ſubtus Lunam, diſtantem ſcilicet à mundi centro
terræ ſemid. 8. ferè, hinc appetat eum candide nō
ſe geſiſſe in hac contemplatione, nam eas obſer-
uationes ſe eligiſſe videtur, quæ erant ſuæ conclu-
ſioni opportunæ & conſentaneæ. Dicit Claramon-
tius quod altitudo viſa debebat eſſe non grad.
73. 20. ut corrigit Tycho. ſed 73. 31. 30. ut iſiſ
calcuſum deduxit, qua ratione altior adhuc ſtella
quam ſemid. 45. extiſſet; In quo loco hunc cal-
cuſum deduxerit Claramontius, ſuppoſita ſcili-
-*

al-

altitudine visa grad. 73.31.30. penitus ignoro, per legi totum Caput 29.lib. primi de Tribus, seu demonstrationem secundam ex secunda indagine, & nihil tale repperi, dum taxat ad inueni quod posita altitudine visa Landgrauij grad. 71.20. eruitur parallaxis grad. 2.21.49. & distantia à mundi centro terræ semid. 7. $\frac{3152}{4112}$ at parallaxi emendata per detractionem vnius minutus, se mid. 7. $\frac{3169}{4095}$.

C A P V T I V.

Dixit Claramontius quod is si assumpsisset altitudinem visam Landgrauij grad. 73.20. quatenus corrigitur à Tychone, tunc non fuisset collatio observationis Lantgrauij cū Tychoniana, sed correctionis Tychonis cum eiusdem observatione, mitto quod in historia observationum ponere debebat observationem puram Lantgrauij grad. 71.20. & non à Tychone correctam grad. 73.20. tamen animaduerti quod is aliquibus in locis utitur observationibus à Tychone emendatis.

Accipiatur quæso prima demonstratio ex prima indagine, Hainzelius obseruavit altitudinem maximam gra. 76.34. Tycho eam corrigit in 76.34.30. & hac ipse utitur, eius verba pag. 60. Paulus autem Hainzelius (ut præseruum emendat Ty-

I 2 cho)

cho) obseruauit eiusdem altitudinem in horizonte Cœleste
ginge seu Augusṭæ grad. 76. 34. 30. eadem in observatione
tione emendata vtitur demonstratiōne secunda
& quinta eiusdem indaginis; locum Solis in singu-
lis obseruationibus Landgrauij semper accipit se-
cundum emendationem Tychonis, sic enim scri-
bit Annot. 4. lib. 1. de Tribus pag. 117. *Landgra-
uius singulis diebus obseruationum suarum, horaque pri-
ma obseruat. eius diei assignat locum verum Soli ex
Meridianis obseruationibus, verum Tycho ea loca si-
gillatim emendat à pag. 495. usq. ad 502. ego sequen-
tias sum emendationes Tychonis; idque eo potissimum
confilio. ut obſtruatur effugium sequacibus Tychonis
elude nde ex hoc capite argumenta mea; ergo si ipsius
mei autoritate & contensu evidenter constat,
quod is usus fuit obseruationibus Landgrauij à
Tychone emendatis, calculum deducere debe-
bat ex altitudine Landgrauij à Tychone emen-
data & ab ipso posita in historia obseruationum,
secundum quam stella illa à mundi centro dista-
uit terræ semid. 45. & amplius; sed video Clara-
montium aduersus me & aduersus meam senten-
tiam insurgere, hāc altitudinem Landgrauij grad.
73. 20. à Tychone correptam nullatenus admitti
debere, nam tunc stella illa constitisset in orbe
Lunæ, & consequenter mota fuisset motu, quo
Luna ipsa cietur, at constat stellam illam dumta-
xat*


at motu diurno agitata fuisse, & non alio; Ad hoc respondimus & dicimus, quod sicut ipse pro scopo habuit ex observationibus Astronomorū ostendere stellam illam fuisse subtus Lunam, ad hanc igitur conclusionem oppugnandam & euer-tendam sufficere contrarium ostendisse, nempe ex aliquibus observationibus constare, stellam illam supra & non infra Lunam extitisse.

C A P V T V.

CVm itaque ex observationibus Astrono-morum stella illa reperiatur & infra & su-pra Lunam in diversis ex maxime discre-pantibus à mundi centro distantijs, stare non pos-lunt, quæ de hac stella Astronomi sanciuierunt, conuenit sanè inter omnes eam vnicō & diurno impulso motam fuisse, atque in eodem loco sem-per constituisse, & consequenter à mundi centro eandem remotionem semper obtinere debuisse; Alterum igitur è duobus dicendum est, vel quod obseruationes Astronomorum falsæ fuerint, vel quod methodus, qua usus fuit Claramontius, legi-tima non sit, si obseruationes falsæ sunt, nil actū est pro parte utraque; sed quæso consideremus methodum Claramōtij, methodus inquam hæc procedit comparando obseruationes factas in di-versis

uersis terræ locis, Dico quod secundum hanc methodum obseruationes comparatas, etiam si verissimæ fuerint, falsas & erroneas exhibere phænomeni à mundi centro distantias, ideoque hanc methodum admitti non debere, & hoc est primarium caput meæ scriptio[n]is aduersus Claramontium.

Exponātur duo semicirculi inæquales concetrici, attamen in eodem plano Meridiani, quoru[m] centrum C, minor representet terram, & maior representet semicirculum, in quo consistit phænomenon, accipiantur duo tetræ loca A & B, protractisque rectis lineis CB & CA ad H & D, erit CH linea verticalis situs B, & CD linea verticalis situs A, constituatur phæno-



menon in puncto E, quod æqualiter distet ab utroque vertice H & D, atque ducantur rectæ AE, BE, & erit AE linea visi loci respectu situs A, BE linea visi loci respectu situ B, & CE linea visi loci respectu utriusque situs, quare angulus AEC erit parallaxis pro situ A, & angulus BEC parallaxis pro situ B, angulusque AEB ex his compositus dicetur differentia parallaxium, iuxta

iuxta definit. primam tertij ordinis, quā ipse tradit in suo Antitychone; Cum itaq; arcus HE, ED supponantur æquales, æquales erūt anguli ECB, ECA, sunt & rectæ CB, CA quoq; æquales, quia terræ semidiametri, ergo duo latera EC, CB æqualia cū sint duobus lateribus EC, CA, atq; æquales angulos comprehendant, erūt reliqui anguli BEC, AEC inter se, itēque EBC, EAC inter se, & consequenter EBH, EAD inter se æquales; Esto arcus AB grad. 10. nempe differentia latitudinis locorum, totidemque graduum erit angulus ACB, supponamus quoque distantiam visam DAE grad. 5. 30. ergo triangulum obliquangulum ACE habebit omnes angulos notos, est enim ACE grad. 5. EAC gra. 174.30. & AEC grad. 0.30. notū quoq; est latus AC terræ semid. quare ut sinus anguli AEC. 873. ad sinum anguli EAC. 9585. sinu toto existente 100000. sic erit semid. terræ AC ad rectam EC, hoc est vt. 1. ad 10. $\frac{855}{873}$. phænomenon igitur E distabit à mundi centro per vndeclim ter ræ semidiametros ferè, in summa iste est casus pri mus, quem ipsemet proponit & soluit in suo Antitychone lib. 1. cap. 3. Probl. 2.


Ptol. computat parallaxim Lunæ, dum est terris vicissima grad. 1. 44. & tunc facit Lunam à mundi centro distare terræ semid. 33.33. Coper ni cus vero grad. 1. 6. 21. & tunc facit Lunam à mundi

mundi centro distare terræ semid. 52. 17. Quare si nos accipiamus parallaxes singulares phænomeni E, nempe AEC vel BEC, hoc est m. 30. siue parallaxim AE \bar{B} ex his compositam, hoc est grad. 1. minorem utique parallaxim possidebit phænomenon E quam Luna, dum erit terris vicinima, qualescumque amplectamur hypotheses siue Ptolemaicas siue Copernicæas, ergo cum minorem possideat parallaxim phænomenon E quam Luna, magis distabit à mundi centro phænomenon E quam Luna, sed nos demonstravimus secundum methodum Claramontij phænomenon E distare à mundi centro terræ semid. undecim ferè, hoc est multo minus quam adiuenerint Ptol. & Copernicus; Quamobrem recte dividimus quod obseruationes secundum hunc suum modum comparatæ falsas & erroneas exhibent phænomena à mundi centro distantias, quod erat ostendendum.

C A P V T V I.

Sed libet eandem pragmatiam altero exemplo illustrare, reposita itaque figura consueta ex prima indagine, supponamus angulum BCA nempe parallaxim situs B esse grad. 1. angulum vero BAC grad. 15. quare CBA erit grad.

grad. 164. & suus deinceps CBE grad. 16. nempe
distantia visa situs B, Item supponamus angulū



DCA nempe parallaxim situs D esse grad. 0. 24.
angulum vero DAC grad. 5. quare CDA erit
grad. 174. 36. & suus deinceps CDF. grad. 5. 24.
nempe distantia visa situs D, ergo differentia pa-
rallaxium BCD erit grad. 0. 36: & differentia latit-
locorum BAD grad. 10. Assumpto ergo triangulo
BAC, sinus anguli BCA. 174 5. ad sinum anguli
CBA. 275 64. sinu toto existente 100000. se ha-
bet ut semid. AB ad AC, hoc est ut 1. ad 15. $\frac{1745}{27564}$. &
per tot terræ semid. distabit à mundi centro phæ-
nomenon C; Quod si hanc praxim peragemus cù
parallaxi situs D, nempe cum angulo DCA grad.
0. 24. adhuc minorē inueniemus distātiām phæ-
nomeni à mundi centro, nempe terræ semid. 13.
 $\frac{1745}{27564}$. Quod autem hæc figuratio recte sc habeat,

K

ma-

manifestum est , nam differentia altitudinum visarum grad. 10. 36. maior est quam differentia latit. locorum grad. 10. & excessus est grad. 0. 36. quanta videlicet est differentia parallaxum; Item haec obseruationes possunt conferri, nam tres anguli trianguli BCD æquales sunt duobus rectis , quod ita notum faciemus , Angulus CBA est grad. 164. ABD grad. 85. ergo reliquus CBD grad. 79. Angulus BDF est grad. 95. CDF gra. 5. 24. ergo ex his compositus BDC grad. 100. 24. est autem BCD grad. 0. 36. colligendo igitur omnes angulos, erit eorum summa grad. 180.

CBD.	79.	0.
BDC.	100.	24.
BCD.	0.	36.
<hr/>		
	180.	0.

Cum itaque phænomenon C minorem habeat parallaxim quam Luna , dum est terris vici-nissima, siue sumatur parallaxis situs B, siue parallaxis situs D , magis remoueri deberet à muudi centro phænomenon C quam Luna, sed nos contrarium ostendimus secundum methodum Claramontij ; Quamobrem recte diximus quod obseruationes secundum hunc suum modum com-

pa-

paratae fallas & erroneas exhibent phænomena à mundi centro distantias, quod erat ostēdendum.

C A P V T VII.

Sed silentio prætereundum non est quoddā alterum absurdum secundum methodum Claramontij, quod scilicet ex eadem observationum combinatione inæqualiter distabit phænomenon à mundi centro; Et enim reposita




figura primæ indaginis, recta AC, nempe distan-
tia à mundi centro, dupliciter indagari potest,
vel secundum parallaxim situs B, hoc est per an-
gulum ACB, vel secundum parallaxim situs D,
hoc est per angulum ACD, per priorem viam in-
triangulo ABC ita se habet latus AB ad latus AC,
ut sinus anguli ACB ad sinū anguli ABC, & secū-

K 2 dum

dū hanc viam (supposita terræ semid. mill. 3035.) iuxta collationes duodecim primæ indaginis, stella illa distauit à mundi centro ex prima collatione mill. 8832. ex secunda. 76342. ex tertia. 57635. ex quarta. 27541. ex quinta. 13307. ex sexta. 11584. ex septima. 95040. ex octaua. 4080. ex nona. 3329. ex decima. 3602. ex undecima. 38766. ex duodecima. 120915. At per posteriorem viam in triangulo ADC ita se habet latus AD ad latus AC, vt sinus anguli ACD ad sinum anguli ADC, & secundum hanc viam stella illa distauit à mundi centro ex prima collatione mill. 8833. ex secunda 76032. ex tertia. 57627. ex quarta 27579. ex quinta. 13390. ex sexta. 11583. ex septima. 96023. ex octaua. 3883. ex nona. 3328. ex decima. 2196. ex undecima. 38685. ex duodecima. 20959. Hæc equidem exempla ad ostendendum unius & eiusdem rectæ AC inæqualitatem, nos proposuisse sufficiant.

C A P V T . V I I I .

QVAMOBREM cum isthæc absurdæ prouenant ex methodo Claramontij, eam nullo modo amplexandam esse profitemur; Non negamus tamen obseruationes factas in diuersis terræ locis admitti, & comparari non de-

debere, sed non eo modo, quo eas ipse comparat, debent inquam comparari parallaxes obseruatæ in diuersis terræ locis, si adfuerint, & tunc secundum illas parallaxes in singulis locis obseruatas indagare situm phænomeni, atque eius distantiā à mundi centro, & sic nullum proueniet absurdū; Fingamus ergo quod apparuerit aliquod phænomenon, quod Neapoli obseruatum, nulla vel imperceptibilis sit animaduersa parallaxis, idem contingit obseruatum Parisijs, idem obseruatum Bizantij, idem obseruatum in alijs terræ locis inter se maxime distantibus, tunc igitur tutius & secundius pronunciare possumus phænomenon illud nullam vel imperceptibilem possedit parallaxim, & consequenter in altissima mundi parte, seu in confinio, & conturbernio fixarum constitisse; Stella itaq; noua, quæ apparuit in Cassiopeia, in pluribus terræ locis obseruata, hanc habuit manifestam apparentiam, quod unico & diurno motu ciebatur, ergo fuit in eadem prouincia atque in eodem territorio cum fixis: Dicere non possumus quod fuit in igne vel aere supremo, nullus enim est ignis sub Luna, nullique orbis reales & solidi, è quorum impulsu agitatus aer diurno motu circu- uolueretur, mera sunt isthac somnia & figmenta.

P E R O R A T I O :

V& scripsimus aduersus methodum Claramontij , bono animo scripsimus , pro inuestigatione scilicet veritatis ; Quod equidem libentius fecimus , vt eum de hac re amice admoneremus , ac desiderium suum adimpleremus , nam pag . 2. ait Poteram ipse itaque expectare à viro docto aliquam alicuius erroris mihi adhuc imperiū veram admonitionem , & hic fuit meus animi in suscipiendo Gloriosi libro habitus , cedere veritati , & erroribus omnibus , quicumque mihi ostensi essent , candide renunciare ; Et hunc errorem putamus ei adhuc imperium fuisse , hoc est non legitima methodo vsum esse , comparando videlicet obseruationes factas in diuersis terre locis , eo modo , quo ipse vsus est , propterea que hanc nostram veram admonitionem ei tanquam viro docto & ingenuo minime ingratam & inuisam fore speramus ; Tadēm pro coronide summas ago gratias Claramō-

Pag . 57 tio , quod me inter pricipiales doctrinæ Peripateticæ aduersantium , atque inter nouatores repuduerit ac locauerit , haud equidem tali me dignor honore .

AP:

APPENDIX.

IN tractatu meo de cometis lib. 2. propositū fuit Problema , quomodo scilicet ex data mora cometes supra horizontem cognosci possit eius à terris distantia , & contra , vnico casu & exemplo contenti fuimus , quando videlicet cometes æquatorem circulum descripsiterit , atque obseruator fuerit in terræ situ æquatori subiecto ; Claramōtius lib. 3 . cap. 29. de Tribus nouis stellis redarguit me , quod praxim & viam generalem non tradidi , restringit enim inquit ad æquinoctiales , cum in eo mouetur phænomenon , & ibidem fuerint spætatores phænomeni , ut nobis quibus ille scribit , ita descripta methodus nulli τουτοι εῖσε possit . Respondimus idjā me factum ratione quadam non contemnenda , nam cum proposuisssem ostendere quod altitudo siue distantia cometes à terris sciri poterat per eius moram supra horizontem , & contra , exemplum & schematum adaptaui facillimum , hoc est in terræ situ sub æquatore , ob sphæræ reætitudinem , ac dierum & noctium vniiformitatē , ut ibidem quoque monuimus , adeo quod hac censura non erat opus ; Replicat Claramontius hisce verbis . Cætera admitto , at non admitto opus nō Pag. 90 fuisse censura , cum enim methodus eiusmodi adducta


fue-

fuerit in dissertatione includente cometas, & phænomena à recentioribus, qui extra æquinoctialem omnes fuerint, obseruata, & nullum fuit phænomenon in æquinoctiali erat methodus accommodanda obseruatis & obseruantibus extra æquinoctialem, at mihi certe erat methodus non bene explicata, explicanda eoque magis, quo Sanctuccius ad phænomena hæc noua, & extra æquinoctialem omnia existentia adduxerat, erat idcirco soluenda eius obratiocinatio, quod nisi ex intima methodi cognitione licebat. Ego itaque plenam & cuniversalem methodi explicationem Cap. ibi 30. tradidi, postea explicui solutione rationum Sanctucci Capp. 32. 33. 34. In summa si mea methodus censura digna est, quia non plena & generalis per omnes terræ situs, nec eius methodus à censura immunis erit. Dico quod eius methodus, quam plenam & generalem vocat, insufficiens est, nec deseruit omnibus terræ locis, deficiunt tres casus.

PROBLEMA CLARAMONTII.


Data distantia phænomeni à centro, datoque parallello in quo motu diurno vertitur, & data cuiusvis propositi loci poli altitudine, inuestigare differentiam inter moram phænomeni supra horizontes loci rationalem & naturalem in motu diurno.

Real-



Resumpta eius figura, terræ situs, C Astronomicus horizon MS, Physicus vero NT, axis DK, vertex X. semid. Aequatoris DH. tropici Capricorni EL, tropici Cancri VG, aliorum parallelorum QN, XC, Evidem hi omnes casus bene se habent, siue situs C ponatur citra, siue ultra Aequatorem: Attamen hæc methodus mihi generalis non videtur, nam deest casus, quando scilicet diameter parallelus transit per situm C, & quamuis iste casus absoluatur facile ex intelligentia reliquorum, nihilominus ab authore non fuit numeratus: Transeat igitur diameter parallelus per situm C, secans axem DK in „, & consideremus primo

L trian-




triāgulum rectāgulum CD° , cuius omnes anguli noti sunt, $C^{\circ}D$ æquatur angulo HDS , nempe cōplemento altitudinis poli, rectus ad D , & $\angle CD$ reliquus, nota est semid. telluris CD , ergo ut sinus anguli $C^{\circ}D$ ad CD , sic sinus totus ad C° , dabitur ergo C° ; At ducta D° cōsideremus alterū triangulū rectangulū $\angle D$, cuius omnes anguli quoq; noti sunt, $\angle D$ mensurat arcum $\angle k$, nempe distantiam parallelī à polo, rectus ad \angle , & $\angle D$ reliquus, nota est distantia phænomeni à mundi centro D , ergo ut sinus totus ad D , sic sinus anguli $\angle D$ ad \angle , & sic sinus anguli $\angle D$ ad D , dabuntur ergo \angle & D , Demum in triangulo rectangulo D sunt quoque noti omnes anguli, $\angle D$ est altitudo poli, rectus ad \angle , & $\angle D$ reliquus, notum iam est latus D , ergo ut sinus anguli $\angle D$ ad latus D , sic sinus anguli $\angle D$ ad latus \angle , dabitur ergo \angle , sed data est \angle , dabitur ergo tota \angle , data quoque est \angle , dabitur ergo C° ; Quare si \angle fiat sinus totus, erit \angle sinus versus arcus dimidiij supra Astronomicum hori-

zon-

zontem, & C^s sinus versus arcus dimidij supra Physicum horizontem, & consequenter nota erit mora phænomeni supra virumque horizontem.


At si forte situs præcise fuerit sub Aequatore, vnicum tamen is absoluit casum, quando scilicet phænomenon in ipsomet Aequatore mouetur, & derelinquit reliquos casus, quando phænomenon mouetur in alijs parallelis, quos casus absoluere facillimum est. Supponatur enim quod situs C præcise fuerit sub Aequatore, & phænomenon mouetur in ipsomet Aequatore, puta MHS, si itaque DH fiat sinus totus versus, erit CH sinus



versus arcus dimidij supra Physicum horizontem; & DH sinus versus arcus dimidij supra Astronomicum horizontem; Sed si phænomenon mouetur in aliquo parallelo, puta Australi, cuius semid. L'E, tunc ducta DL, constitutum erit triangulum rectangulum LED, cuius omnes anguli noti

noti sunt, angulus enim DLE æquatur coalterno HDL, qui mensurat distantiam paralleli ab Aequatore, rectus ad E, & reliquo LDE, nota est distantia phænomeni à mundi centro DL, ergo ut sinus totus ad DL, sic sinus anguli LDE ad LE, dabitur ergo LE, datur PE (æquatur enim semid. telluris CD, ob parallelogrammum DP) ergo dabitur reliqua PL; Quare si LE fiat sinus totus versus, erit PL sinus versus arcus dimidiij supra Physicum horizontē, atq; ipsa LE sinus versus arcus dimidiij supra Astronomicum horizontem; & eodem modo procederemus cum parallelo aliquo, puta Boreali, cuius semid. GV. Non itaque methodus tradita à Claramontio plena & generalis est, ut ipse proposuit.

F I N I S.



Errata Typographica.

Pag. 5. linea 14. est, corrige est, 6. 5. demonstrativa, demonstrativa, 14. linea ultima, deo, id eo, 16. 11. quæritur, queritur, 16. 21. mibi, mihi, 16. 24. compatari, comparari, 16. linea ultima, commostrauit, commonstrauit, 17. 9. stella, stellæ, 18. 22. enim, enim, 19. 14. Bk A, Bk G. 19. 24 respectu, respecta, 19. linea ultima, ptimo, primo, 22. 18. haber, habet, 24. 24. ipsum, ipsum, 27. linea ultima, yolumus, volumus, 30. 1. cui, cur, 30. 15. quonam, quo nam, 31. 11. babui, habui, 37. 7. muudi, mundi, 40. 17. distantrias, distantias, 44. 12. 9080. 19080. 44. 23. hyatopheses, hypotheses, 48. 4. spæra, sphæra, 48. 16. Argumentabor, Argumentabar, 51. 10. fieri, fieri, 51. 11. at D. ad D. 52. 4. constitutionem, cōstitutionē, 52. 20. quoque, queque, 53. 16. facto, facto, 55. 3. huuc hūc 62. 19. pag. 10. pag. 101. 66. 5 Thyohone, Tychone, 69. 12. ex, &, 70. 21. rectæ, rectæ, 70. 23. situ B, situs B, 74. 20. muudi, mundi, 75. 8. cērro, cētro, 80. 17. insufficiens, insufficiens, 82. 6. consideremus, consideremus,

Pag. 3. postilla pag. 1. debet dici pag. 11. & debet poni ex directo versiculi. 4.

Pag. 5. postilla pag. 21. debet poni ex directo versiculi. 10.


Pag. 42. postilla non bene cernitur, tamen debet dici pag. 63.

Pag. 81. in figura, recta linea, quæ signatur literis YG, debet signari literis VG.

Pag. 83. in figura, recta linea, quæ signatur literis MC, debet signari literis MS.

Pag. eadem 83. in figura non est ducta recta DL, immo etiam deberet duci recta DG, pro calculo parallelis Borealis.

M



IMPRIMATVR.

Felix Tamburellus Vic. Gen.

Felix de Januario S.T.D. Dep.

D.Thomas de Aquino Cler. Reg. Dep.